


Livres provenant de la bibliothèque De Candolle,
acquise par la Ville de Genève en 1921, insérés la
même année dans la bibliothèque du Conservatoire
botanique de Genève.

1D

Doublet extrait des Bibliothèques Bois-
sier et de Candolle lors de leur fusion



Return this book on or before the
Latest Date stamped below.

University of Illinois Library

NOV 7 1961
DEC 20 1995

L161—H41

P R I M I T I A E

FLORAE ESSEQUEBOENSIS

ADJECTIS DESCRIPTIONIBUS CENTUM CIRCITER

STIRPIUM NOVARUM,

OBSERVATIONIBUSQUE CRITICIS

AUCTORE

GEORGIO FRIDERICO WILHELMO MEYER

PHILOSOPH. DOCT. ET LIBERAL. ART. MAGIST.

SOCIET. REI SALTUAR. ET VENAT. SAXO-GOTHAN. ET MEINING. MEMBRO ORDIN. SOCIET.

OECONOM. HANNOV. SOCIO HONOR. SOCIET. PHYTOG. RATIONIS. NEC NON HISTOR.

NATUR. WETTERAV. SODALI.

CUM TABULIS AENEIS DUABUS.

G O T T I N G A E

SUMPTIBUS HENRICI DIETERICH

MDCCCXVIII.

1818

Q.
581.988
M57p

Biology
~~Natural Hist.~~

LINNAEANAЕ SOCIETATI
LONDINENSI

NOMINIS FAMA OMNIUM CELEBRATISSIMAE


HOC

QUALECUNQUE SPECIMEN

SUMMA VENERATIONE

PRO SACRO OFFERT

AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

Dum ausus sum TIBI, PRAESES SUMME SPECTABILIS!
et VOBIS, SOCII ILLUSTRISSIMI et DOCTISSIMI! — quibus
cum nomine reformatoris omnis naturalium rerum scientiae summi
et praeclara ejus virtus integra sua sanctitate incumbit, quo-
rumque opera monumenta aeterna ingenii sunt ac doctrinae —
hoc specimen, quo ad botanicen augendam et mea qualiacunque
conferre conatus sum, consecrare: talis modestia, qualis tironem
in hac scientia decet, talis venerationis sensus me implet, quali
qui ad summum scientiae Tribunal accedit, imbutus esse debet.
Accipite sacrum, quod maxime rogo, pro observantiae docu-

mento et verecundiae erga viros qui communi vinculo juncti,
eximium finem — LINNAEI nomen et memoriam factis tam
praeclaro exemplo dignissimis immortalitate donandi — tantopere
assequuntur. Equidem, quum neque ingenio neque studio
ut cum VOBIS conferar dignus sim, hocce opusculum
VESTRIS nominibus inscribi haud passus essem; nisi cogitatio
me firmasset: magnis viris et parva haud spernere proprium
esse. Aequa mente, quaeso, accipiatis; clementer de eo judice-
tis; et si forte minus pretii insit, benigne indulgeatis.

AUCTOR.

P R O O E M I U M.

Pauca sunt, quae huic libello praemittenda dūco. Majus quoddam de patriae floribus opus per aliquot jam annos moliens, variationis amore inexplicabili animo nostro natura ingenito, a stirpium simplicioris formae, quas natale solum nobis offert, contemplatione disquisitioneque ad plantarum magnificarum, quibus tropicum coelum arva ista sylvasque tam mirabiliter exornat, conspectum et admirationem me pertrahi passus sum. Qua quidem re enatae sunt hae primitiae florae regionis Rio Essequibo, coloniae anno 1814 Anglis a Belgis cessae, quae ad Americae orientales oras in latitudinis borealis 7^{mo} gradu, et longitudinis occidentalis 42^{mo} gradu in ostio fluminis Essequibo sita est, insulasque nonnullas nec non continentis partem complectitur. Duobus ex fontibus hae primitiae manaverunt. Partim nempe fasciculus plantarum a Doctore ERNESTO CAROLO RODSCHIED, qui medendi artem in colonia Essequibo professus, et sub finem praeteriti saeculi ibi defunctus est, collectarum in manus meas pervenit: partim non exiguum numerum stirpium ibidem annis serioribus lectarum, quibus ex maxima parte indeterminatis haud paucae novae inerant, amicus mihi conjunctissimus MERTENS, Clar. Bremensis Professor, ut multiplici ac subtili scientia, ita liberalitate et indefesso botanices excolendae atque promovendae studio orbi literario magna cum laude cognitus, benigniter mecum communicavit. Huic non minus quam filio HENRICO, patriae virtutis aemulo, qui permultis scientiis egregie excultus et hujus doctrinae haud vulgarem cognitionem jam acquisivit, et herbarii quod Germaniae amplissimis adnumerandum est, consortio cum patre gaudet, hoc loco maximas gratias pro officio amicissime in me collato publice agere liceat.

Quod plantas a Doctore RODSCHIED collectas attinet, pro parte nominibus jam consignatae, veris tamen paucae, et novae ex maxima parte ignoratae erant. Ceterum specimina tam perfecta omnibusque partibus fere absoluta lecta, tanta diligentia exsiccata et tam bene conservata deprehendebantur, ut eorum plurima in aquam tepidam immissa exactam disquisitionem et descriptiones fusiores permitterent. Longe minorem partem propter mancam eorum conditionem et fructuum defectum reponere et silentio transire coactus sum. Adnotationes et observationes nonnullas, ipsa collectoris manu scriptas cum plantis accepi, et si narratu dignae essent, descriptionibus meis, quas omnes ex ipsis speciminibus erui, literis curvis expressas, vel inter signa "—" positas adjunxi. Nec minus loca natalia et florescendi tempus, si mentio eorum — quae saepe exactissima — facta erat, addidi. Omnes stirpes ut spontaneae a me enumeratae, collectionibus ambabus supra memoratis ierant: solam Achran Sapotam, Bombax pentandrum, Eryngium foetidum, Lantanam Camaram, Ingam fagifoliam, et Tamoneam curassavicam ipse non vidi, sed ex auctoritate Doctoris RODSCHIED in tractatu, cui titulus: *Medicinische und chirurgische Bemerkungen über das Klima, die Lebensweise und Krankheiten der Einwohner der holländischen Kolonie Rio Essequibo. Von E. C. RODSCHIED. Frankf. 1796. 8.* recepi. Novas tantum species describere operae pretium duxi. Stirpes nostris systematis compendiis jamdudum insertas solis diagnosibus, tamen revisis, et ubi res coegit, recultis attigi; nec nisi eo loco quaedam de meis addidi, ubi antecessoribus justam vel integram stirpis descriptionem exhibere non licuerat, aut mea specimina una alterave parte ab illa discrepabant. Ceterum vix admonere opus est, me non omnes species eadem descriptionum prolixitate exsequi valuisse; quod jam ipsa rei natura manifestissime docet, quandoquidem non semper contingit, specimina ex toto perfecta colligere, neque omnes plantae pro sua cujusque natura ac substantia ita exsiccari possunt, ut eundem conservationis gradum referant. Cum libellus forsitan non minus apte pro symbolis quibusdam ad specierum plantarum enumerationem haberi possit, in diagnosibus stirpium novarum constituendis omnium reliquarum jam cognitarum specierum ejus generis, de quo agitur, quantum

fieri potuit, rationem habui; sic ut characteres immutatos systematis indicibus inserere liceret. Observationes quasdam partim generaliores, partim specialiores, ex perscrutatione speciminum, quae ante oculos habui, enatas, suo loco adjeci; quarum plures investigationibus explorationibusque vel in nostro horto botanico academico, vel in herbario meo, quod jam specierum 15000 et quod excurrit continens, haud inter tenuia numerandum est, confirmatae et auctae sunt. Synonyma, quae attuli, paucissima sunt; quia majorem eorum accumulationem hujus libelli consilio haud responsuram esse duxi. Nec nisi ubi in plantis hucusque perperam conjunctis erratum erat, accuratiori synonymorum explicatione opus esse putavi. Igitur praeter *Species plantarum*, sic dictas, nil nisi commentationes duas Doctoris RODSCHIED, ut unica specimina hucusque de Flora Essequeboensi in vulgum edita, attuli. Earum altera est epitome ex literis illius ad E. G. BALDINGER, a Consiliis secretioribus, datis, die 8^{vo} mens. Maji 1791, ejus operi: *Medicinisches und physisches Journal. Vol. 7. fasc. 28.* inserta, ubi enumeratio plantarum 61 in Essequebo observatarum deprehenditur. Altera est opus supra jam memoratum: *Medicinische und chirurgische Bemerkungen über das Klima, die Lebensweise und Krankheiten der Einwohner der holländischen Kolonie Rio Essequibo. Von ERNST KARL RODSCHIED etc. Frankfurt. 1796. 8.* quo beatus RODSCHIED auctam enumerationem plantarum 114, quibus in medicina et oeconomia utuntur, quarum autem plures plantae cultae sunt, exposuit. — Insuper cuique stirpi ex optimis iconibus nonnullas, nunquam tamen nisi praemissa comparatione, apposui. Terminologiam et colorum denominationem quod attinet, Cel. Professore HAYNE, Berolini degentem, qui cura diligentissima hisce rebus impensa, vera de botanices cultura merita sibi paravit, secutus sum. De fructibus eorumque partibus autem ab immortalis GAERTNERI consilio discedere hucusque haud conducere censui.

Quod stirpes hic uti novas propositas attinet, omnem quam par erat diligentiam adhibui, ne ipse erroneus synonymorum copiam temere auge-rem. Magno mihi in ea re usui fuit, quod Bibliotheca nostra praeclara, quae scriptorum botanicorum tam copia quam accuratissima electione haud

scio an ulla alia inferior sit, ab ejus Praefectis pro summa liberalitate frui concessum erat; quod hoc loco gratissimo animo profiteor. Hac indulgentia omnia fere opera post editiones *Specierum plantarum* per Cel. WILLENOW et ejus successores curatas, publici juris facta, tum ea quorum argumentum mere botanicum est, tum quae ad plantarum cognitionem additamenta continent, inspicere atque conferre potui. — Tamen hic admonere opus esse credo, redemptori hujus libelli manuscriptum jam vere anni 1817 traditum, ejusque priores plagulas prelo subjectas fuisse, chartae penuriam autem mox exortam, quominus prius vulgaretur, impediisse. — Ab altera parte haud levis pretii mihi erat, quod Cel. HORNEMANN, Hafniae botanices Professor, tantum beneficium in me conferret, ut ad dubia nonnulla tollenda, exempla originalia e beati VAHL herbario amicissime mecum communicaret; quam ob rem illi non minus quam Cel. Consiliario aulico SCHRADER, qui pariter ut herbarium ejus compararem benignissime mihi permisit, pias gratias hic exsolvo. Vix igitur verear, ne plantas jam cognitae pro novis descripserim; quamquam ratione nostrorum systematis compendiorum adhuc tam manca, stirpibus iis insertis haud paucis dubiis suspectisque, imperfecte aliis descriptis, aliis non nisi brevibus diagnosibus consignatis, ejusmodi error, si forte uspiam accidisset, imprimis in plantis exsiccatis describendis, pro re mira sane non habendus esset.

Ceterum ut conatibus meis ad botanicen illustrandam quamquam levisimis viri artis periti faveant, oro rogoque. Cum jam mihi constitutum sit, terras illas almae Florae ante omnes sacras ipse perlustrare, pleniora multo et digniora in posterum me oblaturum esse spero.

Gottingae, ex Museo meo,
mense Septembri MDCCCXVIII.

PRIMITIAE
FLORAE ESSEQUEBOENSIS

SECUNDUM SYSTEMA SEXUALE.

I. MONANDRIA.

I. MONOGYNIA.

COSTUS: LINN. ref. ROSC. et ROXB.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 4. JUSS. Gén. p. 63. ROSC. Linn. Transact. 8.
t. 20. f. 9.*

Corollae limbus interior unilabiatus. anthera duplex, filamento oblongo-lanceolato supra medium inserta. Caps. 3-locularis, 3-valvis, polysperma.

I. COSTUS nivea. nob.

C. corollae limbo interiori undulato subtrifido, squamis elliptico-oblongis, foliis ovalibus glabris sessilibus.

Copiose in locis humidis umbrosis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret a Januario ad Junium.

Descript. Caulis adscendens, ramosus, digiti crassitie, teres, subgeniculatus, vaginatus, glaber. Folia alterna, in vaginis sessilia, ovalia, integerrima, lineata, glabra, nitida. Vaginae totum caulem obvallantes, cylindricae, striatae, glabrae. Spicae terminales, solitariae, ovatae, e squamis laxè imbricatis compositae, et foliis supremis eorumque vaginis dilatatis basi involucretae. Squamae firmae, elliptico-oblongae, concavae,

glabrae, externe virides, interne purpureae. Flores singuli sub singulis squamis, ad latus exterius bractea naviculari, calycem semiincludente, purpurea amicti. Calyx persistens, ovario insidens: tubo purpureo, laciniis brevibus, erectis, acutis, viridibus. Corolla tubulosa, subincurva, nivea: tubus oblongus, calyce duplo longior, superne ampliatus, limbus exterior trifidus, laciniis tubo longioribus, erectis, lanceolatis, concavis; interior unilabiatus, labio basi tubuloso, superiori parte dilatato, interque limbi exterioris lacinias exserto, reflexo, subtrifido et undulato. Filamentum petaloideum, tubo limbi interioris labio oppositum adnexum, erectum, oblongo-lanceolatum, apice fimbriatum, concavum. Anthera duplex, lineari-oblonga, filamento supra medium longitudinaliter adnata. Ovarium inferum, subrotundum. Stylus filiformis, longitudine filamenti, sulco antherae receptus. Stigma capitatum, inferne corpusculo biglanduloso instructum. Fructum non vidimus.

Ab affine *Costo spicata* satis differt nostra species foliis, squamarum forma, florumque colore. Affinis autem videtur *Costus niveopurpureus* JACQ. *Fragm.* 4. p. 55. t. 79 et 67. f. 2. Sed de hac specie non certe judicare possumus, quoniam floris structuram internam e verbis ab Ill. JAQUINO factis non omnino intelligimus, et icones, ut nobis videtur, cum descriptione non in omnibus conveniunt. Verba JAQUINI igitur adjecimus. "*In summitate autem caulis clava surrigitur, magis quam semipedem alta, tota foliis virentibus et membranaceis squamata, singulis florem singularem exserentibus, Gladiolorum rostratorum floribus proxime aemulum, sed paulo ampliorem, anomalum, 5 scilicet petalis aut partibus constantem, dissimilibus et inaequalibus, partim candidissimis, partim flammis et aurea macula decoratis* (in icone flos ex toto e pallide violaceo in album vergente pictus est). *In ipsorum fundo duo reconduntur apices pallidi, pistillum complectantes tenue candidissimum ac in summitate in duas ligulas dissectum.*" — Si a structura florum et ejus colore recedimus, in nostra specie folia insuper, quae in illa oblonga, multo breviora et etiam latiora, nec non spica minor ovata, nec oblonga.

Observ. Corollae 2—3-pollicares et tenera substantia conflatae sunt, tamen aqua tepida immersa formam pristinam bene recuperant, et fabricae internae enucleationem scrutatori permittunt. Squamae peracta florescentia patent, et etiam externe purpurascunt.

2. COSTUS spicata.

C. corollae limbo interiori undulato subtrifido, squamis ovatis, foliis oblongis glabris brevissime petiolatis.

C. spicatus foliis utrinque glabris, spica multiflora subovata, arcte imbricata: squamis ovatis simplicibus. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 10.

Alpinia spicata. RODSCH. *Observ. de climate etc. in Rio Essequibo* p. 24.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 1.

MORIS. *Hist.* 3. *Sect.* 3. *t.* 14. *f.* 8.

Copiosissime in sylvis humidis insulae *Arowabisch.* (i. e. insula tigrum).

Perennis. Floret toto anno.

Neque Cel. JAQUINUS *Hist. stirp. amer.* p. 1. neque Cel. SWARTZIUS *Flor. Ind. occid.* 1. p. 6. bractearum navicularium mentionem fecerunt, quae intra squamas spicae tam in *Costo nivea*, quam in *C. spicata* calyces externe amictant. — Flores hujus speciei eleganter sulphurei, et folia petiolo brevissimo tereti, vaginae insidente, suffulta.

ALPINIA. PLUM. ref. ROSC. et ROXB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 5. JUSS. *Gen.* p. 63. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 36. *t.* 12.
ROSC. *Linn. Transact.* 8. *t.* 20. *f.* 7.

Corollae limbus interior unilabiatus. Anthera duplex. Filamentum supra antheram non elongatum. Stylus in sulco antherae receptus. Stigma obsolete trigonum. Caps. baccata, 3-ocularis, polysperma.

MONANDRIA. MONOGYNIA.

I. ALPINIA exaltata.

A. racemo subradicali adscendente.

A? exaltata, racemo subradicali erecto, labio concavo trilobo; foliis lanceolatis undulatis. *Spec. plant. ed. RÖMER et SCHULT.* 1. p. 21.

Renealmia exaltata. RODSCH. in BALDING. *Diar. F.* 28. p. 71.

In sylvis humidis umbrosis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret per totum annum.

Cum post LINNAEUM, excepto RODSCHIEDIO, nullo botanico hanc plantam observare contigerit, et a nullo descripta est; fusiorem descriptionem speciminis optime conservati hic tradere non inutilem duximus.

Descript. Caulis erectus, validus, 12 - 20 pedalis (RODSCH. l. c.). Folia alterna, late lanceolata, in basin longe attenuata, 2 - 3 pedalia et longiora, integerrima, costa intermedia apicem versus subevanescente percurta, lineata, glaberrima, laete viridia, nitida. Racemus ex infima parte caulis ortus, adscendens, $1\frac{1}{2}$ - 2 pedalis, multiflorus, leviter tomentosus, purpurascens, inferiori parte bracteis spathaceis obvallatus, membranaceis, alternis, imbricatis, oblongis, obtusis, sulcatis. Flores sparsi, pedicellati, excepto pedicello sesquipollicares. Pedicelli solitarii, 6 - 8 lineas longi, patentes l. divergentes, subcurvati, basi bractea membranacea, lineari-oblonga, acuta, nervoso-venosa suffulti. Perianthium duplex: utrumque tubulosum, membranaceum, nervoso-venosum, pubescens, apice in lacinias 2 vel 3 inaequales rumpens; exterius sive commune, inferum, flores 1 - 2 vel 3 continens, quorum alter perfectus, alter vel alteri duo inevoluti, et simili perianthio communi inclusi; interius sive proprium, superum, laxum. Corolla monopetala, tubulosa, e rubro et luteo varia. Tubus cylindricus longitudine perianthii proprii. Limbus duplex: exterior bipartitus, labio superiori integro, oblongo-ovato, obtuso, concavo; inferiori bifido, laciniis ovatis, obtusis, subconcavis: interior unilabiatum; labium exterioris limbi labio inferiori media basi adnatum, limbum haud superans, oblongum, concavum, apice subrotundum, medio paulo angustatum, basi

dilatatum et utroque latere dente patente, acuto, donatum. Filamentum lineare, tubo corollae adnatum, superne dilatatum. Anthera duplex, oblonga, filamento apice longitudinaliter adnata, infima parte libera, apice subbifida, medio sulco stylum excipiente exarata. Ovarium inferum, obverse conicum, trigonum, sulcis 3 obsolete notatum, leviter tomentosum. Stylus filiformis, longitudine filamenti, basi corpore glandulaeformi, bi-trifido, cristato, circumdatus. Stigma capitatum, planiusculum, subtrigonum, rubrum, medio foramine villosio in stylum decurrente pertusum. Capsula carnosae, pyriformis, obsolete trigona, trilocularis, trivalvis, rubra, per maturitatem nigra, pulpa lutea repleta. Semina nidulantia, rhomboidea, truncata.

Observ. 1. *Alpinia exaltata* in omnibus partibus veram *Alpiniam* refert, et tantum in eo a pluribus recedit, quod perianthium duplex adsit. Tamen non in sententia sumus, hac ratione proprium genus constituere; quia *Scitaminearum* veram naturam et indolem si respicimus, calycem in hac familia haud magni momenti esse, sed corollae limbi interioris, genitalium fructuumque structura et fabrica characteres ad genera condenda certos praebere edoceamus.

Observ. 2. Interdum flos unicus in perianthio exteriori, sive communi, contentus est; saepe autem insuper in pedicello brevissimo perianthium alterum, iterum florem vel duos minutos involvens, qui ut videtur non ad evolutionem perveniunt. Stigma peracta foecundatione arescit et tunc profunde emarginatum vel obsolete bilobum evadit; statu recenti autem omnino cum ceterarum *Alpiniarum* stigmatibus convenit. Flores in aqua tepida emolliti odorem resinose exhalant. — *Linnaeus* fil. erroneus *Alpiniae exaltatae* racemum terminalem nutantem adscribit; florem (ut etiam *Cel. schreb. Gen. pl.*) resupinat, labium inferius pro superiori habens; et filamentum eum ex toto fugit.

Observ. 3. In editione *Sp. plant. RÖM. et SCHULT. 1. p. 21.* deletur synonymon *Globbae erectae* *RED. Liliac. 3. t. 174.* dubie ad *Alpiniam exaltatam* relatum, plantam in apice caulis florentem et florum structura valde diversam exhibens. Quo errore inducti *Cell. viri* plantam

RODSCHIEDII jam a WILLD. rectissime ad Renealmiam exaltatam citatam ad Alpiniam nutantem allegant, et hac de re huic Surinamum false pro patria addunt, nescimus.

CALATHEA. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corollae limbus interior bifidus. Anthera simplex, filamento petaliformi latere adnata. Stylus petaliformis. Stigma trigonum. Caps. 5-ocularis, 3-valvis. Sem. 3.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium commune polyphyllum, foliolis oppositis, imbricatis: exterioribus omnibus bractee florum spiculam tegenti interne incumbentibus, interioribus floribus singulis interpositis.

Perianthium proprium superum, triphyllum, foliolis lanceolatis vel lineari-lanceolatis.

Cor. monopetala. Tubus oblongo-cylindricus, compressus, obliquus. Limbus duplex: exterior tripartitus, laciniis subaequalibus lineari-lanceolatis; interior profunde bifidus, laciniis oblongo-obovatis, obtusis, concavis.

Stam. Filamentum petaloideum, concavum. Anthera simplex, oblonga, filamento latere adnata.

Pist. Ovarium inferum, conicum, obsolete triquetrum, ovulis 3. Stylus tubo corollae connatus, petaliformis. Stigma obsolete trigonum, inflexum, filamenti cavitate suboccultatum.

Pericarp. Capsula chartaceo-membranacea, trigona, calyce coronata, trilocularis, trivalvis.

Sem. tres oblonga, obtusa, subtetragona, basi foveola exsculpta et operculo patelluliformi, embryonifero, clausa.

HABITUS.

Plantae herbaceae, humanam magnitudinem saepe superantes. Folia radicalia longe petiolata, máxima; petioli canaliculati, basi dilatati et invicem se amplexantes. Caules scapiformes, ex una radice plures vel solitarii, simplicissimi, florum spicas, folio unico vel nonnullis petiolatis stipatas, in apice gerentes. Spicae plures, conicae vel cylindricae, pedunculatae, rachidi brevissimae flabellatim insidentes. Spiculae alternae, approximatae, bracteis singulis eas ex toto involventibus, parte inferiori se invicem amplectentibus, amictae. Flores intra bracteam involucri polyphyllo, singulos in anthesi unum post alterum emittente, inclusi.

AFFINITAS.

Hoc genus a *Marantha*, cujus typum *M. arundinacea* et *Tonchat* repraesentant, florum structura et fructibus satis differt. In *Marantha* limbus corollae interior tripartitus est, et corollam ringentem resupinatam refert: in *Calathea* limbus interior bifidus. Stylus in *Marantha* filiformis, filamenti altero processu obvolutus: in *Calathea* petaliformis. Quomodo fructus *Calathea*e — ut maximi in generibus hisce discernendis momenti res — differt, e descriptione fusiori fructuum *Calathea*e discoloris videas.

ETYMOLOGIA.

Nomen instituimus a *καλαθός* — corbis, sporta; quoniam omnibus hujus generis speciebus Indiani ad vasa texenda, quae sportarum vices praebent, maxime utuntur.

I. CALATHEA discolor.

C. foliis oblongis pruinosis, bracteis spicularum obcordatis.
Marantha Casupo. JACQ. *Fragm. F. 4. p. 51.*

ICON. JACQ. *l. c. t. 63. f. 4.* (bractea et perianthii communis pars).

In sylvaticis continentis circa rivum *Arowabischkreek*.

Perennis. Floret Januario.

Descript. Planta herbacea, "usque ad 12-14 pedalem altitudinem ad-surgens." Folia radicalia . . . ; caulina longe petiolata, oblonga, obtusa,

a 2 usque ad 5 pedes longa, integerrima, venis parallelis approximatis percursa, glabra, supra pulchre viridia, subtus incano-pruinosa. Petioli canaliculati, basi dilatati et amplexicaules. Pedunculi 5-7 e geniculis caulis plerumque in ejus apice exeuntes, flabellatim rachi brevissimi insidentes, dodrantaes, semiteretes, latere interiori canaliculati, glabri. Rachis externe spatha universali coriacea, pedunculos aequante, lineari-oblonga, concava, ante anthesin pedunculos involvente, amicta. Spathae partiales cuique pedunculo duae: exteriores omnes spathae universali incumbentes, ejusque substantia et forma, tamen duplo minores et tenuiores; interiores, sive exterioribus oppositae, cum pedunculis alternantes, singulae pedunculos singulos basi amplectentes, submembranaceae, quam exteriores paulo longiores, oblongae, obtusae, concavae, dorso bicarinatae, carinis alato-marginatis, pilis rigidiusculis adspersae. Flores versus pedunculorum apices in spicam conicam, 4-6 pollicarem, e spiculis alternis approximatis compositam congesti. Spiculae ovatae, 9-12-florae, externe bractea inclusae coriacea, subrotundo-obcordata, acumine brevi terminata, sesquipollicem longa et lata, concava, fusco-purpurea, spiculam alteram oppositam semiamplectente. Flores sessiles, imbricati, involucri polyphylo, bractea brevior, incarnato, cujus foliola in eodem ordine quo spathae pedunculorum disposita sunt, obvallati: exteriora nempe quae oblongo-subrotunda, obtusa, glabra, omnia bractee cui similia imposita; interiora autem bicarinata, apice truncata, saepe 2-5 dentata, dorso pilosa, floribus singulis, excepta exteriori sterili, interposita eosque latere interiori imbricatim tegentia; omnia basi se invicem amplectentia, et versus spicularum centrum sensim tenuiora et angustiora. Calyx superus triphyllus, foliolis lineari-lanceolatis, diaphanis, albidis. Corollae tubus cylindricus, compressus, subobliquus; limbus exterior 3-partitus, laciniis aequalibus, lanceolatis, acuminatis, sordide viridibus; interior profunde bifidus, laciniis latioribus, obtusis, crenulatis, luteis. Filamentum petaliforme, concavum, limbi interioris laciniam tertiam referens. Anthera oblonga, filamentum latere adnata. Ovarium conicum, obsolete trigonum, ovula 3 fovens. Stylus tubo connatus. Stigma subtrigonum, inflexum et filamentum cavitate suboccultatum.

Fructus a nemine, quantum scimus, ab ulla hujus generis specie rite descripti, hic fusiores descriptionem, quatenus permittat nostrum specimen, exhibemus.

Capsula infera, chartaceo-membranacea, subdiaphana, calyce emarcido coronata, ovata, obtusa, trigona, sulcis 3 obsolete cum angulis alternantibus notata, glabra, trilobularis, trivalvis. Loculamenta verticillata. Dissepimenta ventralia, tenera.

Placenta fundum loculamentorum tenens, fibroso-friabilis, rugosa, inferiori parte bifida.

Semina in singulo loculamento solitaria, dura, oblonga, obtusa, subtetragona, angulo dorsali rotundato, lateribus duobus ventralibus ob mutuam pressionem planiuscula, media basi foveola orbiculari exsculpta, quae operculo clausa embryonifero, corneo, plano, rimae circulari exacte inserto, externe papillula centrali notato.

Integumentum duplex: exterius furfuraceo-membranaceum, crassiusculum, friabile, venis prominulis subreticulatis percursum, albidum; interius crustaceum, durum, albumini arctissime adnatum, pallide rufescens.

Albumen semini conforme, farinaceum, compactum, niveum, cavitatibus duabus cylindratis secundum axim exsculptum: altera embryonifera a basi usque infra apicem albumen percurrente, ibi reflexa et directione parallela usque infra medium iterum descendente, glabra, nitida; altera cavitatem embryoniferam comitante, linea recta usque infra ejus flexuram ubi clausa, procurrente, subcompressa, massam friabilem exaridam fusciscentem (statu recenti lympham?) fovente.

Embryo monocotyledoneus, vermicularis, cavitatis longitudine, lacteus. Radix infera, brevissima, orbicularis, basi apiculata operculo insidens.

Ex fissis caulibus hujusce plantae, quam in continentis sylvis usque ad 12-14 pedalem altitudinem adsurgentem mense Januario florentem inveni, In-

diani sportas optimas texunt, quas Quecken, Massua, Regalen dicunt. RODSCH.

Nulli dubitamus, Ill. JAQUINI plantam, cujus spicae tantum nonnullae exsiccatae per hortulanos Caesarios ex Carracas anno 1788 ei adlatae fuerant, et nostram esse; quia spicae illae, bractea, et involucri communis pars, in icone citata optime delineatae, ad unguem cum nostro specimine conveniunt. — Nomen barbarum incolarum CASUPO a JAQUINO usque ad certiore definitionem stirpi concessum, mutari debuisse credidimus.

Observ. 1. Pruina folia subtus tegens farinaceo-resinosae naturae est, pluviasque spernat; simillima nobis videtur substantiae resinosae candidae Betularum epidermidis lamellas conglutinanti.

Observ. 2. Praeter speciem fusius descriptam Calathaeae generis etiam sunt: Marantha Casupito JACQ. *Fragm.* 4. p. 51. t. 64. f. 3. Marantha lutea. LAM. *Ill.* 1. p. 9 n. 21. *Encycl. meth.* 2. p. 590. et fere sine dubio Marantha juncea *Encycl. meth.* l. c. p. 589.

Observ. 3. Marantha petiolata *Sp. plant. ed. RÖM. et SCHULT.* 1. p. 16. deleatur, nam eadem planta est, quae eorum M. Arouma, (cui majori jure nomen M. junceae l. c. attribuendum, quod JAQUINI multo prius funditum, et eo magis conservandam, quia jam PLUMIERUS hanc plantam Bermudianam junceam nominavit, et insuper nomen Arouma, ut plurima Aubletii — qui primus eum adhibuit — nomina, barbarum.) Cel. RUDGEUS M. petiolatam in *Plant. Guj. rar.* 1. p. 25. t. 37. uti novam delineans et describens valde erravit, apicem caulis inferne aphylli, altitudinem 10-pedalem attingentem, folia floresque in vertice gerentem, totam stirpem esse ratus; unde folia caulina pro foliis radicalibus describit, plantam acaulem opinatus. PLUMIERUS et JAQUINUS flores 5-partitos indicant, RUDGEUS 6-partitos, quia filamentum petaloideum antheram latere gerens pro corollae lacinia habuit.

MARANTHA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 7. JUSS. *Gen.* p. 63. HEGETSCHWEILER.
Dissert. tab. 4.

Corollae limbus interior 5-partitus, resupinatus. Anthera simplex. Filamentum bifidum hinc antheriferum inde stylum filiformem involvens. Stigma subtrigonum. Caps. baccata, 1-ocularis, 1-sperma.

1. MARANTHA arundinacea.

M. culmo ramoso, foliis ovato-oblongis acuminatis subtus pubescentibus; floribus paniculatis, pedunculis bifloris.

M. arundinacea, culmo ramoso herbaceo, foliis ovato-lanceolatis subtus pilosiusculis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 13.

ICON. HEGETSCHWEIL. *Diss. t.* 4. f. 23 — 28.

RED. *Liliac. t.* 57.

In sylvis umbrosis plantationis *Altona*.

Perennis: Floret per totum annum.

Descriptioni III. LINNAEI in *Hort. Cliff.* p. 2. (*Act. Mosq.* 3. nobis videre non licuit) addimus e nostro specimine haec: Caulis nunc magis nunc minus pilosus. Flores laxè paniculati, partim laterales sessiles, partim in apice paniculae ramorum gemini, alter pedicello semiunciali, alter quadruplo breviori insidens. Fructus capsula baccata, calyce coronata, trigona, trisulcata, 1-ocularis, 3-valvis, 1-sperma. Semen oblongum, trigonum, basi apiceque gibbum, fuscum, nitidum. Nuclens triplex? — Ceterum fructus, quos examinavimus, jam pro parte corrupti erant.

Observ. Verae Maranthae sunt: M. arundinacea. L. M. indica. TUSSAC. M. Tonchat, quamvis fructus ex descriptione RUMPHII paululum discrepat. M. Jacquini RÖM. et SCHULT. (M. lutea JACQ. *Coll. et Icon. rar.*) ut videtur; quamvis fructus descriptio cum icone collata nobis non omnino clara. — M. capitata et M. lateralis RUITZ.

et PAV. *Fl. Peruv.* 1. p. 3 et 4. t. 8. generi *Maranthae* alienissimae sunt. — *M. obliqua* et *M. gracilis* RUDG. *Guj.* 1. p. 3. t. 2 et 3. dubii generis; quia corollae limbus interior bifidus dicitur et fructuum descriptio deest. Filamentum omnino *Maranthae*.

CUCULLARIA. SCHREB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. II. JUSS. Gen. p. 424. AUBL. Guj. I. t. 6.

Cal. dimidiatus, 4-lobus. Cor. irregularis, 4 partita: lacinia maxima concava, basi corniculata. Anthera duplex.

1. CUCULLARIA *tetraphylla*. nob.

C. racemis axillaribus simplicissimis; foliis quaternis coriaceis utrinque glabris.

In sylvis humidis continentis circa rivum *Sterbischikreek*.

Arbor. Floret Octobre.

Descript. "Arbor altissima." Ramuli quadranguli, glabriusculi. Folia quaterna, coriacea, lineari-oblonga, apice in acumen producta, pollices 4-6 longa, 1—1½ lata, integerrima, tenuiter costato-venosa, subtus eleganter reticulata, utrinque glaberrima, luteo-viridia, nitida. Petioli 2-3 lineares, angulati, glabri. Stipulae minutae, ramulo adpressae, ovatae. Racemi 2 vel 4 ex axillis foliorum, pollices 5-6 longi, simplicissimi, patenti-divergentes, incurvati vel recurvati, obtusanguli, striati, subpubescentes. Pedicelli sparsi, solitarii vel gemini, simplices, varie flexuosi, infra medium bracteis duabus oppositis, minutis, deciduis ornati, uniflori. Flores lutei. Calyx monophyllus, dimidiatus, 4-lobus, coloratus; lobis rotundatis, lateralibus minoribus. Corolla tetrapartita, glabra: lacinia calyci opposita maxima, lineari-oblonga, obtusa et subemarginata, concava, genitalia ante anthesin involvens, basi in corniculum desinens pedicello duplo brevius, cylindricum, obtusum, leviter curvatum; lacinia maximae opposita ea duplo brevior et angustior, oblonga, apice subrenulata, concava; laterales duae iterum paulo breviores, oblongo-lineares, basi attenuatae.

Filamentum petaloideum, lineari-oblongum, basin versus angustatum, interne concaviusculum. Anthera linearis, nigricans, filamento apice longitudinaliter adnata, medio sulco, stylum ante floris evolutionem fovente, exaratum. Ovarium superum, ovato-subrotundum, triloculare. Stylus clavatus, longitudine staminis. Stigma paulo incrassatum, obtusum. Fructum non vidimus.

Rami ex arbore altissima in sylvis humidis circa rivum Sterbischikreek mihi Octobre florente obvia lecti. RODSCH.

Differt haec species insignis a *Cucullaria excelsa*: foliis quaternis, duplo fere longioribus, glaberrimis; racemis axillaribus, pedicellis simplicissimis unifloris, florumque structura; a *C. racemosa* POIR. foliis quaternis, coriaceis, utrinque luteo-viridibus; nec oppositis, membranaceis, supra profunde viridibus subtus pallidioribus; racemis duplo longioribus, simplicissimis.

Observ. Inter *C. excelsam* duae species latent, quarum diagnoses hic exponere placet.

1. *C. excelsa*, racemis terminalibus erectis densifloris, foliis oppositis oblongo-obovatis acumine brevi terminatis glabris.

C. excelsa. WILLD. *Spec. plant.* 1. p. 17.

Vochy gujanensis. AUBL. *Guj.* 1. p. 13. t. 6.

Folia oblongo-obovata vel obovato-oblonga, obtusa, acumine brevissimo terminata, basi sensim in petiolum attenuata.

2. *C. tomentosa* NOB. racemis terminalibus laxis subnutantibus, foliis oppositis oblongo-ovalibus longe acuminatis subtus ferrugineo-tomentosis.

C. excelsa, foliis lanceolato-oblongis attenuatis utrinque acutis subtus aureo-tomentosis. VAHL. *Enum.* 1. p. 4. (*excluso synonymo* AUBLETII).

Folia oblongo-ovalia, basi attenuata, apice sensim et longe acuminata, pollices 3 longa, pollicem medio lata, costato-venosa, supra glabra, saturate viridia, opaca, subtus ad venas et venulas reticulatas ferrugineo-tomentosa. Racemus terminalis, palmaris, plus minus nutans. Flores remotiusculi. (*Fide speciminis herbarii VAHLII in Gujana lecti quod coram habemus.*)

II. DIANDRIA.

I. MONOGYNIA.

UTRICULARIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 41. JUSS. Gen. p. 98. GAERTN. Fruct. Suppl. 1. p. 108. t. 198.

Cal. 2-phyllus, aequalis. Cor. personata vel ringens, calcarata. Caps. circumscissa, 1-locularis.

† Aphylli.

1. UTRICULARIA stricta. nob.

U. nectario subulato, scapo filiformi sub 4-floro, bracteis ad pedicellorum basin pluribus.

In paludosis continentis rarius.

Annua. Floret Octobre.

Descript. Radices parvae, verticillato-fasciculatae, basi crassiusculae, albidae. Scapus strictus, pedem cum dimidio longus, filiformis, simplicissimus, tenuissime striatus, glaber, aphyllus. Squamae alternae, remotae, oblongo-ovatae, acuminatae, apicem versus carinatae. Flores 3 vel 4, approximati. Pedicelli erecti, 3 lineas longi. Bracteae ad basin singulorum pedicellorum 2-3, iis paulo breviores, intermedia oblonga, acuminata; laterales lineari-setaceae. Corolla lutea. Nectarium subulatum. Capsula globosa, tenuissime punctata, glabra, pallide fusca.

Affines videntur *Utricularia juncea* Vahl. *Enum.* 1. p. 202, et *U. angulosa* Poir. *Encyc. meth.* 3. p. 273, quae vix a priori diversa; sed differunt a nostra floribus 5-8, bractea unica ad basin pedicellorum.

III. TRIGYNIA.

PIPER. LINN. ref. RUITZ. et PAV.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 59. JUSS. Gen. plant. p. 405. HUMB. et KUNTH.
Nov. gen. I. t. 3.*

Cal. o. Cor. o. Stigma 5-vel-multifidum. Bacca monosperma.

† Spadicibus oppositifoliis.

* *Foliis venoso-nervosis.*

1. PIPER aduncum.

P. foliis ovali-oblongis acuminatis pubescenti-scabris, brevissime petiolatis; spadicibus uncinato-curvatis.

P. aduncum, foliis ovato-oblongis ellipticisve acuminatis scabris basi inaequalibus, spicis uncinatis. VAHL. *Enum. 1. p. 319.*

ICON. JACQ. *Icon. rar. 2. t. 210.*

SLOAN. *Hist. 1. t. 87.*

In sylvaticis.

Frutex. Floret . . .

2. PIPER divaricatum. nob.

P. foliis oblongis acutis glabris utrinque cum ramis pedunculisque elevato-punctatis; spadicibus divaricatis curvatis.

In sylvaticis.

Frutex. Floret . . .

Descript. Rami teretes, superne compressi, sulcato-striati, una cum pedunculis granulis minutis dense adpersi, glabri. Genicula subnodosa. Folia alterna, erecto-patentia, oblonga, acuta, basi vix inaequalia, pollices 5 longa, 2 lata, nervoso-venosa, utrinque tuberculis minutis elevato-punctata, glabra. Petioli lineas 4 longi, canaliculati, striato-

scabri. Spadices oppositifolii, solitarii, divaricati et leviter recurvati, excepto pedunculo petiolo duplo longiori, bipollicares, parum acuminati.

Differunt a nostro:

- P. retrofractum* VAHL. *Enum.* 1. p. 314 foliis valde attenuatis, pedunculis petiolis duplo crassioribus, spadicebus crassioribus obtusissimis.
- P. aequale*. VAHL. *l. c.* p. 315 foliis elliptico-lanceolatis attenuatis subtus impunctatis, pedunculis longitudine petiolorum.
- P. curvatum*. *Flor. Peruv.* 1. p. 36. t. 54. f. a. foliis acuminatis subtus tantum punctatis, pedunculis petiolo brevioribus, spadicebus patentibus.
- P. aduncum*, foliis acuminatis, spadicebus duplo longioribus, erectis vel patentibus, uncinato-curvatis.

Observat. Quamquam recte jam monente VAHLIO in *Enum.* 1. p. 357 in sententia sumus, stigma punctiforme indivisum genus *Peperomia* a RUITZ. et PAV. constitutum a genere *Pipere*, cui stigma 2-3-vel multifidum est, discernens, pro discrimine haud gravissimo censendum esse; tamen in disjunctionem *Peperomia*e generis consentiendum esse persuasi sumus. Discrimen hoc, ut ex CLAR. HUMBOLDTII observationibus patet, constans est, et nullos transitus offert; genus naturalissimum caule herbaceo carnoso a *Piperibus* separat, quae trunco fruticoso usque ad 15 — 25 pedum altitudinem adscendente gaudent. Non minus determinatio specierum numerosarum, quae ex CLAR. HUMBOLDTII inventionibus post VAHLII *Enumerationem* promulgatam stirpibus 77 auctae sunt, et nuperrime in editione *Spec. plant. auct. RÖMER. et SCHULT.* jam ad numerum 225 specierum accreverunt, quorumque insuper certe magna cohors inter tropicos, vera patria hujusce familiae, indetecta vegetat.

III. TRIANDRIA.

I. MONOGYNIA.

MACROLOBIUM. SCHREB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 62. JUSS. Gen. p. 350. LAM. Ill. t. 26.

Cal. 4-fidus, 2-bracteatus. Cor. 5-petala, petalis 4 minutis, quinto maximo undulato-plicato. Legumen pedicellatum, compressum. Sem. 1.

1. MACROLOBIUM hymenaeoides.

M. foliolis sessilibus, bracteis elevato-uninerviis, calycis laciniis patentibus, staminibus corollam vix superantibus; leguminibus hinc alato-marginatis.

M. hymenaeoides, foliolis oblongis basi inaequalibus, leguminibus oblongis, altero margine bialatis. VAHL *Enum. 2. p. 37.*

ICON. AUBL. *Guj. 3. t. 7.*

In sylvis continentis.

Arbor. Floret Octobri, Novembri.

Observ. Cel. VAHLIUS Macrolobio in caractere generico minus recte calycem 4-dentatum attribuit, nam usque infra medium 4-fidus est: laciniis ovatis, acutis. In adumbratione erroneus calycem glaberrimum loco bractearum tomentosum vocat. Legumen ei bialatum, margine membranaceo duplici brevissimo tantum cinctum est.

2. MACROLOBIUM stamineum, nob.

M. foliolis sessilibus, calycis laciniis reflexis, staminibus corolla triplo longioribus; leguminibus hinc obsolete marginatis.

In sylvis litoralibus insulae *Arowabisch* rarius.

Arbor. Floret Majo.

Descript. Arbor cortice cinereo, subnitido tecta. Rami teretes, cinerascens; ramuli fusco-sanguinei, glabri. Folia alterna, geminata: foliola firma, pollices 4-5 longa, $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{1}{2}$ lata, adverso-subfalcata, lanceolato-oblonga, obtusiuscula, latere interiore angustiore, integerrima, utrinque glabra, nitida. Petioli semipollicares, basi et apice subincrassati, glabri. Racemi versus apicem ramulorum intrafoliacei, et tunc ut plurimum gemini, quorum alter pedunculo brevi suffultus; vel axillares, solitarii et sessiles: omnes curvati, apice adscendentes, bipollicares, angulati. Flores alterni, brevissime pedicellati. Bractee duae, florem ante anthesin includentes, florescendi statu patenti-divergentes, obovatae, acutiusculae, concavae, interne glabrae et fuscae, externe una cum pedunculo et pedicellis tomento denso, flavo-ferrugineo tectae. Calyx brevis, inferne tubulosus, 4-fidus, glaber, e viridi rufescens: basi hinc gibba, fauce subcoarctata, limbi laciniis ovatis, acutiusculis, concavis, reflexis. Corolla 5-petala: petala calycis fauci inserta, quorum 4 calyce inclusa, minuta, acuta, subciliata; quintum exsertum, maximum, patenti-recurvatum, oblongum, basi concavum, superne in laminam undulato-plicatam albam dilatatum, subpubescens. Stamina 5 fertilia, ad basin petali maximi inserta, inferne leviter connata, una cum pistillo purpurea. Filamenta filiformia; petalo maximo triplo longiora, adscendentia, deinde flexuosa, inferne pilis raris adspersa. Antherae elliptico-subrotundae, biloculares, puberulae. Ovarium pedicellatum, ovale, compressum, tomentosum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma obsoletum, obtusum. Legumen magnum, pedicellatum, ovato-rhomboidaeum, compresso-planum, hinc obsolete marginatum. Semen 1, orbiculare, planiusculum.

Species antecedens, cujus specimen incompletum tantum videre nobis licuit, differt: bracteis nervo crassiusculo elevato notatis, calycis laciniis patentibus, petalo maximo violaceo, staminibus petalum maximum paulo tantum superantibus et dilutius coloratis, leguminibus evidentius alato-marginatis; florescendi tempore. — Tamen ut autopti utramque speciem denuo examinent et diversitatem specificam confirment optamus.

Observ. 1. In virginitate bractee florem ex toto includunt; iis et calycis laciniis tunc erectis caute remotis, stamina spiraliter convoluta, et una cum pistillo petalo maximo cuculli ad instar inflexo involuta apparent. Cum florum explicatione bractee aperiuntur et patescunt, calycis lacinae deorsum flectuntur, petalum maximum erigitur, recurvatur, stamina et pistillum adscendunt.

Observ. 2. Florum structura botanicis hucusque haud bene observata est, nam re vera petala 5, aequae ac in genere *Outea*, huic proxime affine, adsunt; sed 4 valde minuta sunt, squamulas tantum repraesentantia.

HIPPOCRATEA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 73. JUSS. Gen. p. 251. LAM. Ill. t. 28.

Cal. 5-phyllus. Petala 5. Margo carnosus staminiferus.
Caps. 3, 2-valves, medio dehiscentes.

1. HIPPOCRATEA discolor. nob.

H. foliis ovalibus breviter acuminatis crenato-serratis glabris subtus discoloribus; capsulis ovatis.

In sylvis litoreis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret toto anno.

Descript. Rami subtetragoni, glabri; ramuli annui levissime ferrugineo-tomentosi. Folia opposita, petiolata, ovalia, breviter acuminata, pollices 3 ut plurimum longa, paulo ultra sesquipollicem lata, obsolete crenato-serrata, inter venas principales eleganter tenuissime venulosa, utrin-

que glabra, subnitida, subtus rufescentia. Petioli semiunciales, glabri. Stipulae geminae, subulatae, deciduae. Paniculae terminales et laterales, foliis breviores, dichotomi. Rami patenti-divergentes, ut ramuli et calyces ferrugineo-tomentosi: ramulus singulus, 2-3 florus, in dichotomia paniculae. Bractee ad basin ramorum et ramulorum singulae, ovatae. Calyx planus. Corolla flava: petala oblonga; squamae petalis superne insidentes concavae, acuminulo terminatae. Filamenta brevia, reflexa, e margine crassiusculo, germen tegente, orta. Antherae subrotundae. Ovarium globosum. Stylus subulatus, staminibus brevior. Stigma simplex, obsoletum. Capsulae 3, ovatae, plano-compressae. Semina fasciculata, alata.

Hippocratea laevigata VAHL. *Enum.* 2. p. 27. n. 3. nostrae forsitan affinis est. Sed cum Cel. auctor adumbrationi nimis brevi suae stirpis, quam ex auctoritate RICHARDI ad hoc genus retulit, observationem addat: — eam habitu reliquis recedere, fructumque non vidisse — et insuper haec stirps in LAM. *Encyclop. meth. c. suppl.*, quo opere RICHARDI species semper diligenter enumeratae sunt, non occurat; pro planta dubia censenda est. Differt ceterum Hipp. laevigata a nostra foliis obtusiusculis, pedicellis duobus in paniculae dichotomia.

TONSELLA. SCHREB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 74. JUSS. *Gen.* p. 436. AUBL. *Guj.* 3. t. 10.

Cal. 5-fidus vel 5-partitus. Petala 5. Urceolus germen cingens. Bacca 1-locularis, polysperma.

TONSELLA malpighiaefolia.

T. foliis ovali-oblongis breviter acuminatis integerrimis laevibus nitidisque, paniculis dichotomo-corymbosis. Hippocratea malpighiaefolia, caule subaspero; foliis anguste ovalibus integerrimis, acuminatis, subtus asperis: antheris quadrilobis. RUDG. *Plant. rar. Guj.* 1. p. 10.

ICON. RUDG. l. c. t. 8.

In sylvis umbrosis plantationis *Königsberg*.

Arbor. Floret Junio.

Descript. Arbor scandens, sed non volubilis, cortice dirupto, cinereo-fusco vestita. Rami oppositi, teretes, rimosi et tuberculati. Folia opposita, petiolata, subcoriacea, ovali-oblonga, breviter acuminata, maxima pollices 6—7 longa, $2\frac{1}{2}$ lata, ramulorum flores gerentium duplo minora, integerrima, venis arcuatis, tenuioribusque reticulato-anastomosantibus percursa, utrinque glaberrima, flavo-viridia, nitida. Petioli vix semiunciales, glabri. Stipulae ovato-lanceolatae, acuminatae, deciduae. Paniculae terminales et laterales, dichotome corymbosae, foliorum longitudine. Rami et ramuli patentes, parum compressi, basi bracteis singulis suffulti, quibus ramorum inferiorum lineari-lanceolatae, superiorum ovatae, omnes subulato-acuminatae. Calyx 5-partitus, albescenti-viridis, laciniis patentissimis, venulosis, tribus cordato-subrotundis, denticulato-ciliatis; duabus minoribus ovato-subrotundis, obsolete denticulato-ciliatis. Corolla calyce duplo major, petalis subrotundo-obovatis, subconcavis, obsolete denticulato-ciliatis, punctatis, albis. Filamenta subulata, compressa, basi in urceolum brevissimum, germinis basin cingentem connata. Antherae subrotundae, sulco transversali notatae, utrinque emarginatae. Ovarium ovatum. Stylus subulatus, longitudine staminum. Stigma trifidum.

Quanquam jam Cel. RUDG. l. c. descriptionem hujus stirpis dederit, aliam tamen hic exhibere haud supervacaneum credidimus; cum illam non in omnibus justam et naturae congruentem deprehendimus.

Observ. Fructus hujus stirpis adhuc ignotus: ob affinitatem cum *Ton-sella* scabra et decussata nobis ad hoc genus relata est.

COMMELINA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 86. JUSS. Gen. p. 45. GAERTN. Fruct. I. p. 49. t. 15.

Cal. 5-partitus. Cor. 5-petala. Filamenta 2-5 sterilia, glandulis cruciatis instructa. Caps. 2-3-locularis.

† Floribus involucreatis.

* *Involucro complicato.*

COMMELINA glabra. nob.

C. foliis lanceolatis petiolatis cauleque erecto glabris, involucreis axillaribus pedunculatis cordato-ovatis.

In graminosis.

Floret . . .

Descript. Glaberrima. Caulis erectus, pedalis et ultra, pennae gallinaeae crassitie, teres, striatus. Folia petiolata, patentia vel divergentia, lanceolata, acuminata, basi rotundata, pollices 5 - 5½ longa, semipollicem lata, margine scabra, utrinque punctis albidis adspersa. Petioli brevissimi, compressi. Vaginae semipollicares, laxae, petiolum versus ciliatae, virides. Flores axillares, involucreati. Involucrum pedicellatum, cordato-ovatum, acuminatum, complicatum, obecto-venosum et tenuissime punctatum. Pedunculi 2-3, quorum superior ut plurimum exsertus. Corollae parvae, coeruleae. Antherae luteae.

Observ. Genus Aneilema a Cel. ROB. BROWNIO in *Prodr. florae Nov. Holland.* 1. p. 270 — operi, cui ob divitias tam rerum novarum, quam observationum de vera plantarum natura acutissimarum, vix ullum aliud novissimis praeteritis decenniis vulgatum par censendum sit — propter involucri absentiam a Commelina disjunctum, ex nostra sententia servari non potest.

SCHOENUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 92. JUSS. Gen. p. 27. LAM. Ill. t. 38. f. 1.

Cal. squamae paleaceae, in spiculas undique imbricatae vel fasciculatae, exterioribus minoribus sterilibus. Cor. o. Nux *) lenticularis vel triquetra.

† Culmo nudo.

SCHOENUS ciliatus.

S. spiculis in capitulum subrotundum collectis, involucre subhexaphyllo ciliato supra basin colorato, culmo angulato, foliis subpilosis.

Dichromena ciliata, pilosa, involucris supra basin ciliatis. VAHL. *Enum. 2. p. 240.*

In arenosis continentis.

Annua? Floret Januario.

Ad descriptionem VAHLII haec: Radix fibrosa; fibrae teneres, ferrugineae. Superficies culmi et foliorum pro loci natalis conditione et plantae aetatis ratione valde mutabilis est: culmus excepta parte infra florem pilosa, et folia in nostro specimine glabra sunt, vaginae tantum pilis raris adpersae.

Observ. 1. Setae vel squamulae **) in multis Cyperoideis et Graminibus ovarii basin numero nunc frequentiori nunc pariori obvallantes, quarum mentionem certam jam HALLERUS *Enum. pl. hort. et agri Gotting. ed. 2. p. 57* fecit, quibus deinde VAHLIUS in Cyperoidearum nonnullis generibus condendis usus fuit, quasque nunc Cel. ROB. BROWNIUS in *Prodr. Nov. Holl.* ex fundamentis principalibus unum in Graminum et Cyperoidearum distributione arripuit

*) Semen. LINN. Akenium. RICHARD.

**) Nectaria. SCHREB. LINN. Setae et squamulae hypogynae. ROB. BROWN. Glumellae. DESV. Codiculae. PAL. BEAUV.

— pace tantorum Virorum dixerim —; ad firmam generum classificatio-
nem non aptas esse censemus. Rationes hae sunt.

a) Plantarum genera in essentialibus partibus florum fructuumque fun-
data, etiam non unica tantum relatione — nisi ea maximi momenti
censenda — instituta esse debent. Sed squamulae vel setae illae
hypogynae non ad partes essentielles referendae sunt, quia praesen-
tia et absentia earum, licet in nonnullis speciebus valde conspicuae
sint, tamen nullis certis limitibus definienda est. In aliis nempe spe-
ciebus sensim usque ad tantam parvitatem decrescunt, ut optimis len-
tibus vitreis usi, tamen vix certe discernere possimus, utrum revera
adsint, nec ne. (Exempla praebent generum *Panici*, *Poae*, *Sac-*
chari, *Scirpi* ROB. BROWN. *Chaetosporae* ROB. BROWN
plurae species). Occurrunt nobis porro squamulae in speciebus
cultis, quarum partes luxuriosiori incremento magnitudine augentur,
in quibus spontaneis detegere minime valemus. Saepe eas in floeculis
nonnullis observamus, dum in aliis ejusdem speciminis ob eximiam
parvitatem, aut quia ad justam magnitudinem non pervenerunt, frustra
quaerimus. Quae cum ita sint, squamulae etc. pro partibus certe
limitatis non habendae; eo minus autem pro partibus eximii momenti
quibus unicis praesentibus vel absentibus genera condenda, existi-
mandae sunt.

b) Igitur squamularum vel setarum usus non constanter ad
generum constitutionem converti potest. Multis speciebus *Panici*,
Poae, *Paspali*, quibus generibus Cel. ROB. BROWNIIUS squa-
mulas attribuit, ex disquisitionibus nostris diligenter factis nullae
visibiles sunt. Hae species igitur in genera propria a reliquis disjun-
genda sint. In aliis porro rudimenta tantum squamularum absole-
tissima nobis obvia. Nec minus accidit, ut rationes quae validiores cen-
sendae, ratione squamularum habendae saepe repugnent. Ea de causa
Cel. ROB. BROWNIIUS in genere *Eleochari*, ob stylum persisten-
tem a *Scirpo* disjuncto, species cum et absque setis hypogynis
consociavit; ea de causa in genere *Fuirena* setae intervalvu-

lares aliis speciebus, aliisque nullae; ea de causa tandem in multis generibus silentio transmittuntur, ut in *Stipa*, *Amphipogone*, *Danthonia*, *Avena*, *Bromo*, *Festuca*, *Tritico*, ect.

c) Genera optima et naturalissima, quae expugnare et conservare botanicis ultima lex! squamularum ect. ratio habita discinduntur; ejus rei documento est separatio *Scirpi* generis et *Isolepi*, *Schoeni* et *Chaetosporae* ect.; et plura naturalissima insuper conscindi debent, si haec distributionis conditio constanter, ut tamen fas est, perferatur, ut v. c. genera supra jam memorata, *Poa*, *Paspalum* ect.

d) Graminum studium jam per se e difficillimis, ob eximiam harum partium parvitatem ex toto microscopicum evadit; igitur sane non facilius, sed multo difficilius adhuc redditur, et in plantis exsiccatis pro parte plane tollitur.

Ex hisce sententiam statuimus: setarum et squamularum in flosculis Cyperoidearum et Graminum praesentiam et naturam diligenter quidem perscrutandam, in specierum descriptiones recipiendam, sed minime in generibus constituendis et sejungendis adhibeendam esse.

Observ. 2. Genus *Dichromenam* VAHLII a generibus *Rhynchospora* et *Schoeno* non diversum esse censemus, cum superficies seminum obsolete transversim undulato-rugosa ad genericum characterem fundandum minime sufficiat; nam hac sola re, si utriusque generis characteres in clavi generum et in fronte specierum enumerationis conferas, omissa setarum ratione, *Dichromena* a *Rhynchospora* differt *). Tamen VAHLIUS *Rhynchosporae micranthae*, *R. triflorae*, *R. inexpanseae*, *R. glaucae* etc. semina transversim undulato-rugosa describit, quamquam in *Dichromenae* caractere hanc rem maximi putasse videtur, quia setarum in caractere *Rhynchosporae* p. 229

*) In generum dianome VAHL. *Dichromenae* basi stylum persistentem attribuit: in caractere specierum enumerationi praemisso ne verbum quidem de eo dixit, sed *Dichromenam* a *Rhynchospora* et *Schöno* seminibus transversim undulato-rugosis distinxit.

exposito nulla mentio fit, et in genere Schoeno species setis praeditis, iisdemque carentes accumulatae. Eo magis temere Dichromena a Schoeno distincta est; nam in multis Schoenis semina simili modo undulato-rugosa sunt, v. c. in Schoeno piloso, S. secundo, S. setaceo, S. hispidulo ect., et in aliis non minus quam in Dichromenae speciebus apiculatae occurrunt. Conf. observ. ad Schoenum floridum *).

†† Culmo folioso.

2. SCHOENUS floridus.

S. corymbis divergentibus, lateralibus decompositis terminalibus supradecompositis, ramis corymborum approximatis, pedunculis glabris; rostello longitudine seminis.

Schoenus floridus, culmo folioso triquetro, pedunculis inferioribus distantibus, superioribus in umbellam aggregatis, pericarpio calyptrato.
RUDG. *Pl. rar. Guj.* 1. p. 15.

ICON. RUDG. *l. c. t.* 18.

In paludosis.

Perennis. Floret . . .

Species Schoeno aureo habitu maxime affinis; sed — pace Cel. ROB. BROWNII, qui ambas conjunxit — ut plura specimina docent, revera differens: corymbis magis compositis, ramis omnibus approximatis et aequedistantibus, nec inferioribus remotis; ramulis, sive pedicellis, non patentibus sed divergentibus; bracteis ramorum duplo longioribus, et tan-

*). Hisce minime id spectamus, ut veneratissimum VAHLIUM, cujus ingenium acerrimum, et maxima in rem botanicam merita jure miramur, incusemus. Immo plane nos persuasi sumus, ipsum, nisi heu nimis mature! ante evulgatam secundam *Enumerationis* partem his litteris creptus esset, plura verosimiliter mutaturum, et in repetita castigatione atque ultima operis lima emendaturum fuisse.

dem vaginis truncatis, nec mucrone obtuso terminatis. Semen in quo Cel. RUDGEUS imprimis discrimen Schoenum aureum inter et S. floridum quaerit, idem ac in S. aureo est.

Observ. Genus Rhynchosporam VAHLII servare non possumus. Si characterem genericum in *Enum. 2. p. 229* exhibitum, ex quo totus stylus induretur et in semine persistat, respiciamus, et species examinemus, quae hanc conditionem insigni modo praebent, ut v. c. Rhynchospora aurea, character notabilem fructuum differentiam referens, optimus videtur: si autem majorem specierum numerum et genera affinia conferamus, simile phaenomenon offerrentia, ut Dichromenam VAHLII, Scirpum et Eleocharin ROB. BROWNI Juncum ect. ab insigni R. aureae ect. seminum facie, per species permultas, in quibus styli pars dimidia vel tandem basis tantum persistit, ad eas, quarum in seminibus nullum styli vestigium remanet, per intermedios gradus lentissimum transitum observamus; sic ut nulli limites statuendi. Exempla praebeant: Rhynchospora sparsa, R. inexpansa, R. ciliata, Dichromenae plurimae species, Scirpi, Junci species ect. Eundem transitum in articulatione styli, qua subtilissima conditione Cel. ROB. BROWNIUS in hisce generibus disjungendis insuper usus est, invenimus.

CYPERUS. MICH.

Gen. plant. ed. SCHREEB. n. 93. JUSS. Gen. p. 27. GAERTN. Fruct. 1. p. 9. f. 2.

Spiculae distichae, multiflorae; glumis compresso-carinatis, inferioribus 1 vel 2 minoribus sterilibus. Nux compressa vel triquetra.

† Culmo triquetro.

* Umbellis contractis.

i. CYPERUS polystachius.

C. spiculis corymboso-fasciculatis confertis lineari-lanceolatis; involucro subpentaphyllo umbella longiore.

D 2

C polystachios, spiculis lineari-lanceolatis complanatis corymboso-fasciculatis confertissimis, involucro subpentaphyllo subbrevioribus. VAHL. *Enum.* 2. p. 515.

ICON. ROTTB. *Gram.* t. 11. f. 1.

In arenosis plantationis *Altona*.

Perennis. Floret Septembri.

In omnibus nostrum specimen cum planta Indiae orientalis convenit.

** *Umbellae radiis elongatis, spiculis umbellatis.*

2. CYPERUS compressus.

C. spiculis digitatis subquaternis lanceolatis, glumis mucronatis; involucro umbella subpaniculata longiore.

β) *spicis sessilibus.*

C. compressus. SW. *Observ.* p. 50.

C. rotundus gramineus fere inodorus, panicula sparsa compressa viridi. SLOAN. *Hist.* 1. p. 117.

ICON. SLOAN. *l. c.* t. 76. f. 1.

In graminosis rarius.

Perennis. Floret Januario.

Differt haec varietas a Cypero compresso ROTTB. *Gram.* p. 27. t. 9. f. 5. PLUCK. *Mant.* p. 97. t. 417. f. 2. tantummodo spiculis ex toto sessilibus. SLOANIUS et SWARTZIUS varietatem nostram, ut ex icone illius et descriptione hujus elucet, ante oculos habuerunt.

3. CYPERUS elegans.

C. spiculis digitatis subternis oblongis, glumis subrotundo-obovatis mucronatis; involucric foliolis alternis umbella longioribus.

C. elegans, spiculis subternis linearibus, valvulis obcordatis mucronatis distinctis patulis, umbella laxa. VAHL. *Enum.* 2. p. 323.

In nemorosis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret Septembri.

Descript. Radix fibrosa. Culmi caespitosi, 1—3-pedales, pennae gallinaceae crassitie, triquetri, glabri, nitidi, basi foliorum vaginis vestiti. Folia laxa, linearia, breve acuminata, culmo breviora, 4-6 lineas lata, plana, inferne glabra, apicem versus imprimis dorso et ad margines scabra. Vaginae membranaceae, laxae, e viridi ferrugineae. Involucri foliola radiorum numero, alterna, infima duo, sive exteriora, subopposita, umbella duplo longiora, intermedia eam paulo superantia, reliqua radiorum longitudine: omnia foliis culmeis similia, tamen magis scabra. Involucella, sive involucra partialia, 3—4-phylla: foliolis umbellula brevioribus, lineari-subulatis, albo-marginatis, serrulatis. Ochreae semipollicares et longiores, in lacinulam oblongam, obtusam, margine serrulatam desinentes, basi albidae, superne dilute ferrugineae. Umbella ut umbellulae corymbosae: radii 3—10, patentes, fructiferi divergentes, longiores 3—4 pollicares, reliqui parum breviores; umbellulae 3—4-radiatae, pollicares. Spicae terminales, ut plurimum ternae, in pedicellis brevioribus binae vel solitariae, sessiles, oblongae, 3 lineas longae, 1 latae, 7—8-florae, basi bractea oblonga, nervo viridi excedente terminata, suffultae. Glumae membranaceae, diaphanae, patentes, subrotundo-obovatae, compressae, dorso striatae et nervo valido, viridi, in mucronem brevem patentem excedente terminatae, ferrugineae. Stylus trifidus. Stigmata reflexa. Nux oblongo-obovata, triquetra.

Ex specimine herbarii VAHLII, a Cel. Prof. HORNEMANNO nobiscum benignissime communicato, edocti sumus, nostram stirpem eandem quam VAHLII esse. Ex ejus descriptione id non omnino certum erat: igitur fusiorem hujus, quae ex rarioribus est, speciei descriptionem adjunximus. Icon SLOANII *Hist.* 1. t. 75. f. 1. VAHLIO citata, mala est, et cum ipso VAHLII exemplo ob spiculas aggregatas et involucri foliolis multo angustioribus haud bene convenit.

4. CYPERUS vegetus.

C. spiculis subgloboso - conglomeratis, ovato - oblongis, glumis oblongis, excepto nervo laevibus; involucri umbella longiore.

C. vegetus, spiculis lanceolatis subgloboso - capitatis compactis, valvulis ovatis uninerviis, involucri umbella longiore. VAHL. *Enum.* 2. p. 326.

ICON. JACQ. *Hort. Vind.* 3. t. 12. (C. compressus.)

Frequens in graminosis, tam humidis quam siccis, insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret a Martio ad Septembrem.

Radix horizontaliter repens, nodosa, fibras copiosas, verticales, albas emittens. Spiculae in planta spontanea minime lanceolatae, sed ovatae, vel ovato-oblongae, 12—16 florum, tenuissime transversim undulatae.

5. CYPERUS Luzulae.

C. spicis capitatis solitariis vel conglomeratis, spiculis oblongo-ovatis, glumis incurvatis; involucri longitudine culmi.

α) *longifolius*, capitulis solitariis maximis, foliis culmo duplo longioribus.

β) *intermedius*, capitulis solitariis duplo minoribus, foliis culmum aequantibus vel parum superantibus.

Cyperus umbella simplicissima ect. РОТТВ. *Gram.* p. 23. t. 13. f. 2.

C. Luzulae. HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* p. 209.

γ) *brevifolius*, statura graciliori, foliis culmo brevioribus.

C. Luzulae. VAHL. *Enum.* 2. p. 328.

δ) *glomeratus*, capitulis conglomeratis.

In locis paludosis; γ in humidis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret per integrum annum.

Valde variabilis stirps! — In α capitula nuce avellana majora, culmus penna gallinacea crassior, folia longissima, duplicem culmi longitudinem saepe superantia, semiunguem lata. — In β capitula minora, culmus penna columbina paullo crassior, folia culmum subaequantia, vel paullum longiora. — In γ capitula pisi magnitudinis, umbellae radii unciae longitudinem vix attingentes, culmus pedalis circiter, et pennae columbinae crassitie, folia culmo breviora. — In δ capitula a 3 ad 6 conglomerata, pisi magnitudinis vel duplo majora, partim sessilia, partim — praeprimis inferiora — pedicello brevi suffulta.

* * * *Umbellae radiis elongatis, spicis alternis.*

6. CYPERUS Hydra.

C. spiculis corymbosis distantibus lineari-lanceolatis, foliis inferioribus recurvatis; tuberibus subrotundo-oblongis.

C. Hydra, spicis corymbosis, spiculis lineari-lanceolatis distantibus, foliis recurvatis, tuberibus oblongo-subrotundis. VAHL. *Enum.* 2. p. 344.

In graminosis continentis.

Perennis. Floret ...

Tubera in nostris speciminibus e radicibus repentibus eadem directione prodeuntia, inferne iterum radicem unam vel plures emittentia, semipollicem longa, 3—4 lineas lata, saepe difformia, sulcata, fibris capillaribus, rufescentibus, inprimis inferiorem partem versus vestita, et quasi barbata.

Observ. Cyperus Hydra et C. rotundus verosimiliter diversi non sunt.

7. CYPERUS nemorosus. nob.

C. spiculis corymbosis distantibus linearibus; involucrio umbella longiore, partiali diphylo setaceo; radice fibrosa.

In nemorosis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret toto anno.

Descript. Radix fibrosa. Culmi caespitiosi, pedales vel 2-pedales, penna columbina tenuiores, trigoni, striati, glabri, inferne foliosi. Folia ut plurimum tria, laxa, linearia, culmo breviora, lineam vix latiora, carinata, glabra, margine laevia. Vaginae tenerae, membranaceae, canescenti-brunneae. Involucrum 3-rarius 4-phyllum: foliola culmi foliis similia, sed planiuscula, maximum umbella triplo longius, reliqua sensim breviora, quartum, si adest, longitudine umbellae. Involucella e foliolis duobus setaceis, spiculis infimis subjacentibus, iis brevioribus, suboppositis. Ochreae truncatae, in mucrones virides acuminatae. Umbella simplex, 3 — vel 4-radiata: radii 1 — vel 2-unciales, filiformes, tereti, subangulati, glabri. Spiculae 3—8 distantes, alternae, distichae, patenti-divergentes, lineares, acuminatae, planiusculae, basi bractea oblonga, acuminata stipatae, 12 — 15 florum. Glumae lanceolato-oblongae, compressae, nervo dorsali viridi, et striis 1 vel 2 in utroque latere, margineque latiusculo albo eleganter variegatae. Nux ovato-oblonga, triquetra, albescenti-brunnea.

Inter *Cyperam Hydram* et *tenuifloram* nostra species systemati inserenda est: tam hisce, quam *Cypero rotundo* et *C. esculento* affinis. A *Cypero rotundo*, *C. Hydra* et *C. esculento* differt: radice fibrosa, non repente et tuberifera, atque involucri partiali, quod deest prioribus duobus; a *C. tenuifloro* autem umbella constanter simplici, spiculis compressis, minus angustis, glumisque longioribus discrepat: ab omnibus illis tandem habitu gracillimo, ochreis bimucronatis, et colore spicularum diversa.

8. CYPERUS callophorus. nob.

C. spicis glomeratis oblongis vel oblongo-subrotundis, spiculis oblongis; involucri longissimo, partiali setaceo.

In paludosis continentis.

Perennis. Floret . . .

Descript. Radix crassa, fusiformis, fibris validis nigricantibus firmata, culmos foliorumque fasciculos nutriens. Culmus 5—4-pedalis, pennae anserinae crassitie, obtuse triqueter, sulcis profundis exaratus, scaber, e viridi purpurascens, inferiori parte foliorum vaginis tectus. Folia copiosa, subrigida, linearia, longissime acuminata, culmo longiora, semunciam lata, carinata, vasorum fasciculis prominulis istmisque interjacentibus — inprimis basin versus — tesselato-reticulata, margine serrulata, utrinque scabra, glauco-viridia, inferne purpurascens: fasciculorum folia minus rigida, duploque angustiora. Vaginae e foliorum basi sensim dilatatae, insigniter reticulatae, margine membranaceo auctae. Involucrum e foliis 6—3 constans, foliis culmeis similibus, maximis umbella 5—6 duplo longioribus, reliquis sensim brevioribus, brevissimis duplicis umbellae longitudinis: involucellum 2- vel 3-phyllum, spicis brevius, setaceum, hinc inde nullum. Ochreae semipollicares, laxae; lacina in radiis exterioribus truncata, utroque latere mucrone, nunc longiore nunc breviori terminata, in radiis interioribus oblonga, obtusa, mutica. Umbellae radii circiter 6: intermedii patentes, 3—4-pollicares; laterales divergentes, pauloque breviores, triquetri, striati, subscabri. Spicae 5—6, in radiis brevioribus 3—4, capitatae, sessiles penna cygnea crassiores; intermedia erecta, pollicaris, oblonga; laterales approximatae, divergentes, duplo triploque breviores, subrotundo-oblongae vel subrotundae. Spiculae numerosae, densissime conglobatae, fructiferae divergentes, oblongae, acutae, 5-florae. Glumae elliptico—oblongae, acutiusculae, compressae, dorso striatae, pulcherrime badiae. Nux minuta, triquetra, basi attenuata.

Spectabilis stirps! statura procera et capitulis saturate rufescenti-brunneis magnificum botanicis spectaculum praebens. — *Cyperus glomeratus*, cujus inflorescentia exacte et nostri, differt: spiculis linearibus, acuminatis, 10—12-floris, glumis lineari-lanceolatis, rufo-ferrugineis, totoque habitu. *Cyperus ligularis*, qui ex altera parte ad *Cyperum callophorum* aliquantum accedit, differt: inflorescentia magis corymbosa, ochrearum structura, spiculis fructiferis retrorso-imbricatis, colore omnium partium etc.

9. CYPERUS densiflorus. nob.

C. spicis umbellulatis subcompositis ovato-oblongis, spiculis confertis subulatis; involucro umbella longiore.

In locis paludosis et aquis stagnantibus.

Perennis. Floret toto fere anno.

Descript. Radix bulbosa, subrepens, fibris copiosis, simplicibus, albidis firmata. Culmi solitarii vel plures ex una radice, bipedales et ultra, pennae anserinae crassitie, acute triquetri, striati, glabri, inferiori parte foliorum vaginis vestiti. Folia 2—4, linearia, acuminata, culmo paulum breviora, semipollicem lata, carinata, glabra, margine scabra. Vaginae 5-pollicares, laeves, latere interiore membranaceae, e glauco fusciscentes. Involucrum e foliolis 6 vel 8 culmeis similibus constans, quorum nonnulla umbella fere duplo longiora, reliqua umbellam vix superantia, margine carinaeque scabra: involucellum sub 6-phyllum, foliolis exterioribus longitudine umbellulae, reliquis sensim decrescensibus. Ochreae laxae, hinc in lacinulam membranaceam, ochrea ipsa longiorem, bifidam attenuatae; radiorum umbellularum truncatae, bi-vel tridentatae. Umbella decomposita, 6-vel 9-radiata: radii patentes, 4-pollicares et breviores, compresso-triquetri, glabri, Umbellulae subcorymbosae, e spicis 5 vel 6, brevissime pedicellatis, pollicaribus, ovato-oblongis, compactis, basi subramosis compositae. Spiculae plurimae, confertae, patenti-divergentes, statu fructifero divergentes, unguiculares, lineari-subulatae, compressiusculae, basi bractea brevi, lineari-lanceolata, acuminata suffultae, leviter curvatae, 12—14-florae. Glumae remotiusculae, patentes, ovali-oblongae, obtusiusculae, convexae, striatae, nitidae, albescenti-brunneae, nervo dorsali latiusculo viridi distincta, Nux oblonga, acuta, triquetra, albescenti-brunnea.

10. CYPERUS giganteus.

C. spicis umbellulatis elongatis, spiculis subulatis, involu-
lucro umbellae longitudine.

C. giganteus, spicis umbellatis, spiculis subulatis, umbellulis involu-
cellum aequantibus, ochreis bifidis, culmo obtusangulo. VAHL. *Enum.* 2.
p. 364.

In lacubus et aquis stagnantibus per totam Coloniam copiose.

Perennis. Floret per integrum annum.

Descriptioni hujus speciei a VAHLIO exhibitae addere liceat: Culmi
caespitosi, 8 vel 10-pedales, inferne subteretes, foliorum loco vaginis
2—3 vestiti, superne obsolete trigoni. Umbella 10—12—18-radiata.
Involucri foliola divergenti-patentia, longitudine radiorum, lineari-
lanceolata, rigida, supra concava, subtus convexa atque ex albo virideque
longitudinaliter striata. Ochreae laxae, quartae radiorum partis lon-
gitudine, bifidae, inferne albae, apicem versus membranaceae, striatae,
punctataeque.

11. CYPERUS distans.

C. spicis umbellulatis compositis elongatisque, spiculis
distantibus subulatis; involucri subhexaphyllo, foliolo
uno longissimo.

C. distans, spicis distichis, spiculis filiformibus patentibus, flosculis dis-
tantibus, umbella stricta. VAHL. *Enum.* 2. p. 362.

C. stellatus. RUDG. *Pl. rar. Guj.* 1. p. 17. t. 20.

ICON. JACQ. *Icon. rar.* 2. t. 299.

ROTTB. *Gram.* t. 10.

Vulgatissima in graminosis humidis, et ad fossas.

Perennis. Floret per totum annum.

Descriptionibus ROTTEBOLLII et VAHLII, hanc stirpem bene illustran-
tibus, observationes de maxima variatione habitus et imprimis inflores-
centiae hujus speciei, per plura specimina de ea edocti, adjungimus.

Culmi a bipedali ad tri-quadripedalem assurgunt altitudinem. Radii in speciminibus majoribus 6—8-unciales, spicae pedicellatae, et fere omnes basi compositae; in minoribus radii pauciores et 4-pollicares, spicae subsessiles; in minimis radii breviores etiam, spicae sessiles et fere simplices. Involucrum folium maximum in illis 3—4-pedale, in hisce $1\frac{1}{2}$ pedale. Ochreae ut plurimum in laciniam simplicem, hinc inde tamen bifidam attenuatae. Involucelli foliolum maximum (contra VAHL.) ut plurimum longitudine umbellulae; umbellulae ipsae (contra iconem РОТТВ.) subcorymbosae. Spiculae flavescentes, dorso virides. Nux linearis, acuminata, trigona.

Cyperus stellatus RUDG. C. distantem in medio evolutionis statu sistit. Male Cel. Auctor spiculae, in icone cum flosculis 7 recte delineatae, in descriptione flosculos 3 attribuit. Sed haud raro in opere dicto nobis deprehensum, descriptiones in icones maxime laudandas non quadrare.

Observ. *Cyperus jubaeiflorus*. RUDG. l. c. p. 17. t. 21. medium fere tenet locum inter C. distantem et densiflorum, sed ab utroque diversus est: ab illo discrepat spicis triplo brevioribus, spiculis confertis 4—5-floris; ab hoc involucro triplo longiore, spicis longe pedicellatis, non conglobatis, spiculis duplo brevioribus et paucifloris.

Observ. Genus *Abildgaardia* VAHL. *Enum.* 2. p. 296 ob basin styli persistentem a *Cypero* disjunctum servari non potest. (Conf. observ. ad genus *Rhynchosporam*.)

MARISCUS. VAHL.

VAHL. *Enum.* 2. p. 372. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 12. t. 2.

Spiculae pauciflorae, teretiusculae; glumis concavis, inferioribus 1 vel 2 sterilibus. Nux triquetra vel lenticularis.

† Spicis solitariis vel pluribus subsessilibus.

1. MARISCUS litoralis. nob.

M. spicis sessilibus pedunculatisque cylindricis, spiculis ovato-subulatis subbifloris, bracteis lineari-subulatis; involucro spicis brevior.

Passim in arena maritima plantationis *Altona*.

Perennis. Floret Septembri.

Descript. Gramen pedale, solitarie vigens. Radix bulbosa, squamis ovatis nigrescenti-rubris, in folia sensim desinentibus vestita, fibras tenues horizontales emittens. Culmus subrigidus, acute triangularis, glaber, inferiori parte foliosus. Folia firma, linearia, culmo breviora, inferiora decrescentia, lineas 3 lata, complicata, carinata, glabra, margine autem et carina, inprimis apicem versus, scabra. Vaginae membranaceae, rufescentes. Involucrum 5- vel 6-phyllum; foliolis culmeis simillimis, maximo 6-unciale, minimo spicarum longitudine: involucellum e foliolis 5 vel 6 minutis, spiculis parum longioribus, lineari-subulatis, serrulatis, sensim in bracteas desinentibus constructum. Ochreae brevissimae, truncatae, sanguineae, punctisque elevatis notatae. Spicae 5—6, aggregatae, exteriores radiis brevissimis suffultae, reliquae subsessiles, vix semiunciales, oblongo-cylindricae, obtusae. Spiculae confertae, ovato-subulatae, florescendi statu patentes, hinc convexae inde planiusculae; fructiferi divergentes, trigoni; omnes basi bractea dimidia vel tertia parte brevior, lineari-subulata, margineque serrulata suffultae, 2-rarissime 3-florae. Gluma infima bracteae opposita (calycis valvula interior VAUL.) membranacea, elliptica, albida, striisque ferrugineis notata, sterilis; gluma fructifera inferior duplo major, elliptico-ovata, concava, glumam superiorem basi dilatata includens, nervo dorsali viridi percursa, utroque latere nervis 3 vel 4 elevatis, interque eos punctis ferrugineis notata; gluma fructifera superior inferiore fere duplo longior, lineari-oblonga, medio paululum contracta; gluma tertia, si adest, sterilis. Nux ovata, triquetra, basi attenuata, apice mucrone brevi terminata, tenuissime punctata, castanea.

Differt nostra species a Marisco paniceo in Oriente crescente, cui affinitate proxima, sive speciminis herbarii VAHLII: culmo validiore, foliis latioribus, spicis subsessilibus, spiculis 2-floris, brevioribus, ferrugineis nec flavescens, bracteis spicularum (calycis glumis exterioribus VAHL.) omnibus involucri partialis foliolis (bracteis setaceis VAHL. in M. paniceo et M. flavo) similibus, lineari-subulatis, serratisque; nec brevissimis ovatis, obtusis, integerrimis, glumam veram sterilem referentibus.

Observ. Parum recte auctores Marisco paniceo involucellum nullum attribuunt: pari modo adest, quam in reliquis, tantum minus. VAHLIUS, LINNEUM hac in re secutus, involucellum in M. paniceo et M. flavo bractearum setacearum nomine designavit.

† Spicis umbellatis vel corymboso-umbellatis, pedunculatis.

2. MARISCUS coriaceus. nob.

M. spicis corymboso-umbellatis cylindricis, spiculis oblongo-subulatis trifloris, glumis acutis, involucrio longissimo polyphylo.

Ad radices arborum imprimis Erythrinae plantationis *Koenigsberg*.
Perennis. Floret Septembri.

Descript. Gramen ad arborum radices quasi parasiticum. Culmus spithameus vel pedalis, penna gallinacea paulo crassior, triqueter, sulcatus, scaber, inferne foliosus. Folia rigida, linearia, longissime acuminata, culmo duplo terque longiora, semunciam lata, carinata, margine serrulato-aspera, dorso imprimis carina et apicem versus scaberima, coerulescenti-viridia, facie lineata, glabra, flavo-viridia. Vaginae abbreviatae, purpurascens. Involucrum polyphyllum: foliola culmeis simillima, alterna, approximata, exteriora culmo triplo longiora, reliqua sensim decrescentia, basi in vaginam brevissimam, coloratam desinentia. Involucellum e foliolis spicis brevioribus, lineari-setaceis, serrulatis, basi subamplexicaulibus conflatum. Ochreae laxae,

hinc truncatae, inde in lacinulam brevem, nunc indivisam acutam, nunc bipartitam acuminatae. Umbella composita, una cum umbellulis corymbosae: radii 5—8, circiter semiunciales vel paulo longiores, triquetri, subscabri. Spicae umbellularum a 4 ad 6, cylindricae; intermedia erecta; laterales pedicellis brevibus insidentes, duplo terque breviores, patentes. Spiculae confertae, florescendi statu patentes, fructiferi subdivergentes, oblongo-subulatae, basi bractea minuta, membranacea, oblonga, acuta stipatae, 2—3 vel 4-florae. Gluma infima bractee opposita sterilis, obtusiuscula, reliquae paullo majores, oblongae, acutae, compressiusculae, dorso nervo angusto viridi, lateribusque striis obsolete notatae, ferrugineae. Nux triquetra.

A Cypero ligulari differt nostra stirps: radiis duplo triploque brevioribus; involucellis evidentioribus, (nam minime desunt in C. ligulari, ut vult Cel. VAHLIUS) spicis duplo angustioribus tamen aequilongis, lateralibus longius pedunculatis, nec divergentibus, sed patentibus; spiculis brevioribus, duplo angustioribus, nec retroflexis sed divergentibus, saturatius coloratis. — Affinis nostro etiam est Mariscus Mutifii HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 216. t. 66, sed differt hic: culmo longiori, foliis culmo brevioribus; inflorescentia umbellata, involucri foliolis duplo angustioribus, radiis spicisque longioribus; spiculis minus confertis bifloris, glumis obtusis etc.

KYLLINGA. ROTTB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 91. JUSS. Gen. p. 27. LAM. Illustr. t. 38.

Spiculae subuniflorae, compresso-ovatae. Glumae 4 carinatae, quarum inferiores steriles. Nux lenticularis.

1. KYLLINGA triceps.

K. capitulis solitariis vel ternis sessilibus glomeratis, spiculis confertis subimbricatis.

Kyllinga triceps, capitulis subternis sessilibus glomeratis, spiculis confertissimis subimbricatis. VAHL. *Enum.* 2. p. 531.

ICON. ROTTB. *Gram. t. 4. f. 6.*

SLOAN. *Hist. 1. t. 78. f. 2.*

In graminosis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret Januario ect.

In omnibus partibus nostra specimina in colonia *Essequibo* lecta cum illis ex India orientali herbarii nostri a KOENIGIO lectis conveniunt, non nisi ut culmi longiores sint. Radices bulbosi ut in indica stirpi odoratissimi. Miramur Cel. VAHLIUM solam Indiam orientalem patriam hujus stirpis laudare, cum jam SLOANIUS in *Hist. 1. p. 119* sub gramine cyperoideo minore, spica compacta subrotunda viridi, radice odorata eam descriperit, et *t. 78.* figura satis congruente adumbraverit.

Observ. Kyllingia triceps valde affinis est K. monocephalae, quae forsitan sola illius varietas. Specimina nostra K. monocephalae ex India orientali, exceptis capitulis solitariis in omnibus ad unguem quadrant in specimina Rodschiediana Kyllingiae tricipitis; sed in hisce nec minus plures culmi adsunt, qui capitulis solitariis gaudent. — Porro K. odoratam VAHL. *Enum. 2. p. 382* a K. tricipite non diversam credimus.

Observ. Genus Mariscis a genere Cypero differt secundum VAHLIUM calyce bivalvi; — deficiente in hoc; flosculis 2—3 in una spicula, — dum in Cypero spicula multiflora est; corollae glumis, quarum inferior in Mariscis superiorem amplectatur. Si autem hos characteres in speciminibus Mariscis specierum, quae nobis in manibus sunt, exploremus; solummodo eos in partium denominatione mutata conditos esse — et in plurimas Cyperi generis species non minus quadrare, invenimus. Calyx in Mariscis ex iisdem partibus constat, quae in Cyperis valvulae corollinae steriles sive vacuae ut plurimum nominantur: a reliquis, praeter sterilitatem, forma paulo diversa, et ea conditione differunt, ut si spicula caute detrahatur, in rachi remaneant. In omnibus Cyperis adsunt aequae ac in Mariscis. Ut plurimum duae adsunt; altera extrinsecus ad basin spiculae, altera ei opposita, ad spi-

culae interius latus collocata: saepe tamen spicula extrorsum vera bractea suffulta est, et tunc una tantum gluma sterilis bractee opposita adest, ambaeque calycem in genere Marisco sic dictum constituunt. Cels. VAHLIUS nonnullis Mariscis v. c. M. paniceo bracteam et insuper calycem bivalvem attribuens, non recte hanc rem distinxit, nam hic involucelli foliola spicas tantum, non spiculas basi obvallantia false bractearum nomine salutavit. Vera bractea et gluma unica ei opposita sterilis calycem sistunt in M. aggregato et pluribus aliis, nec non in multis Cyperis. In eo loco tantum, si bractea deest, glumae duae inferiores oppositae steriles sunt, et calycis vices quasi agunt: sic in Marisco capillari, M. ovulari, M. umbellato, Cyperisque pluribus invenimus. Quamquam igitur VAHLIUS negat, tamen rectissime Ill. JACQUINUM Kyllingiae incompletae — Marisco elato VAHL. — calycem univalvem attribuisse credimus. Quod nunc mutuam relationem valvularum corollinarum sive glumarum fertilium generi Marisco adscriptam attinet, ea in omnibus fere Cyperis, qui glumis magis alternantibus gaudent — ut in iis evenit, qui spiculis teretes et subulatas habent — plane eadem est: in his aequae ac in Mariscis gluma inferior superiorem oppositam basi amplectitur. Unice igitur minor numerus flosculorum generi Marisco pro caractere relinquitur. Quamquam non existimamus, florum numerum in generibus constituendis ex toto excludendum esse, tamen si numero plures in disjungendis et relinquendis stirpibus adsunt flores, nonnullos eorum plus aut minus ad genus condendum sufficere, minime credimus. Sed si etiam hoc mittimus, Cypero ligulari flores 4—5 sunt, et omnibus partibus non minus aptum ad Marisci quam ad Cyperi genus pertinet. Sic etiam C. Thunbergii flores 2—6 sunt, Marisco havanensi KUNTH. ab altera parte, flores 3—4, M. flabelliformi. KUNTH. et M. polyphylo KUNTH. flores 4 etc. Igitur etiam in hac re nulla causa generum disjungendorum adest. — Omnino verum esse concedimus, nonnullos Mariscos habitu inter se bene convenire, sed haec res minime eos a genere Cypero, quod insuper inflorescentias habitu diversissimas jam conjungit, jus separandi nobis tribuit. Pluribus autem Mariscis etiam omnino Cype-

rorum et vix Mariscorum ceterorum habitus est, ut v. c. *M. pycnostachyo* KUNTH., *M. Mutisii*. KTH., *M. rufo*. KTH., *M. coriaceo* NOB. etc.

Discrimen non minus imbecillum et insufficiens Mariscum inter et Kyllingam intercedit. In hac calyx secundum VANILIIUM uniflorus stylusque bifidus est; in Marisco calyx triflorus, et stylus trifidus vocatur. Discrimen illud partim, ut per se patet, haud grave est, partim non existit; nam in pluribus Kyllingis flosculus secundus accedit, et in nonnullis Mariscis v. c. in *M. conico* R. BROWN. *M. conferto* et *M. Tovari* KUNTH. spiculae uniflorae sunt. Stylus trifidus sit, an bifidus in Cyperoidearum familia nullius momenti censenda, ut plura illarum genera affatim docent. In Marisci genere spiculae ut plurimum magis teretiusculae, in Kyllingis paululum compressae inveniuntur; sed et haec variabilis et levissima res habenda. Kyllingae ea conditione ex altera etiam parte ad Cyperos iterum accedunt.

Ex omnibus hisce sententia statuenda sit, genera Cyperi, Marisci et Kyllingae nullo modo disjungenda esse, et pluribus horum generum speciebus detectis et rite disquisitis certe nos omnia tria in unum genus conjungere coactum iri.

SCIRPUS. MICH.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 94. JUSS. Gen. p. 27. GAERT. Fruct. I. p. 10. t. 2.

Glumae paleaceae, concavae, undique imbricatae, paucissimae exteriorum vacuae. Nux lenticularis vel triquetra.

† Spica terminali solitaria.

1. SCIRPUS geniculatus.

S. culmo tereti dissepimentis approximatis interstincto, spica ovato-oblonga, glumis ovato-subrotundis.

S. geniculatus, spica ovato-oblonga, squamis ovato-subrotundis, culmis teretibus approximate interstinctis. VANIL. *Enum. 2. p. 250.*

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 81. f. 3.

In fossis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret per totum annum.

2. SCIRPUS capitatus.

S. culmo setaceo angulato-sulcato aphylo, vaginis hinc truncatis inde acutis, spicis subglobosis, glumis oblongo-ellipticis.

S. capitatus, spica subglobosa, culmis sulcato-angulatis setaceis, vaginis muticis. VAHL. *Enum.* 2. p. 250.

ICON. ROTTB. *Gram.* t. 15. f. 3. (*Scirpus caribaeus*.)

In inundatis maritimis insulae *Arowabisch* inter arborum radices, ubi arena luto tecta est, inprimis in plantatione *Sophienburg*.

Perennis. Floret per totum annum.

VAHLIUS vaginas culmi in diagnosi muticae, in descriptione in aristam desinentes nuncupat: in nostris speciminibus hinc truncatae inde in lacinulam brevem acutam desinentes invenimus. Culmi variant a 3—4 pollicare longitudine usque ad fere pedalem.

Observ. Cel. BROWNIUS *Scirpum capitatum* ad genus suum *Eleocharin* a *Scirpo stylo* persistente distinctum refert. Sed ut nostra opinio fert, nec hoc genus ex iisdem argumentis, quae *Rhynchosporae* disjunctionem a *Schoeno* vetant, servari potest.

†† Spicis terminalibus umbellatis.

3. SCIRPUS dichotomus.

S. culmo triquetro nudo, spicis ovato-oblongis, involucre subtriphyllo umbella decomposita longiore.

S. dichotomus, culmo triquetro nudo, umbella decomposita, spicis dichotomiae sessilibus. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 303.

Fimbristylis dichotomum. VAHL. *Enum.* 2. p. 287.

ICON. ROTTB. *Gram.* t. 13. f. 1.

In inundatis insulae *Arowabisch.*

Annua. Floret per totum annum.

Spiculae fructiferae nigro-bruncae. Stylus bi-trifidus.

Observat. Genus *Fimbristylis* VAHL. cum *Scirpo* conjunximus, quia ejus character levissimus et ad genera disjungenda insufficiens est.

4. SCIRPUS tenuifolius.

S. culmo setaceo angulato-sulcato, spicis umbellatis ovato-oblongis; glumis ovatis brevissime mucronatis.

S. tenuifolius, foliis tenuissimis; culmo nudo striato; spicis umbellatis terminalibus. RUDG. *Pl. rar. Guj.* 1. p. 18.

ICON. RUDG. *l. c.* t. 22.

In locis arenosis.

Annua Floret . . .

Descriptio Cel. RUDG. non in omnibus naturae conveniens, quare et nostram hic exhibere placet.

Descript. Radices fibrae tenerrimae, simplices, flexuosae, ferrugineae. Culmi caespitosi, setacei, palmares et altiores, sulcato-angulati, glabri, supra radicem squamis nonnullis membranaceis, laxis, lanceolatis, nervosis, striatisque, dilute ferrugineis amicti, basi foliosi, superne nudi. Folia 2 vel 3, culmo duplo breviora, setacea, tenuiter sulcata, glabra. Vaginae membranaceae, fere pollicares, latiusculae, striatae, glabrae, ore pilosae, e ferrugineo purpurascens. Involucra 2 vel 3 membranacea, ovata, in foliolum culmi foliis simillimum desinentia, maximum umbellam paululum superans, reliqua umbello breviora. Umbellae parvae: radii 4 — 6, semipollicares, teneri, simplices, rarius sub apicem ramulo uno alterove praediti. Spicae terminales, solitariae, ovato-oblongae. Glumae membranaceae, laxè imbricatae, ovatae, nervo dorsali viridi paululum excedente brevissime mucronatae, subcompressae, carinatae, ferrugineae, infima sterilis, acuminata. Filamenta tenuia

Antherae oblongae. Stylus longitudine staminum, apice trifidus.
Nux ovata, triquetra, glabra.

Observat. Genus Isolepin R. BROWN, cum genere Scirpo conjungimus. (Conf. observat. 1. ad Schoenum ciliatum).

REMIREA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1713. JUSS. Gen. p. 34. LAM. Ill. t. 37.

Calycis glumae plures, imbricatae. Corolla inclusa, univalvis, dissimilis. Stigmata 3. Nux oblonga, corolla suberosa inclusa.

1. REMIREA maritima.

R. florum capitulis sessilibus.

R. maritima. VAHL. Enum. 2. p. 391.

ICON: Flor. Ovar. et Benin. 2. t. 73.

AUBL. Guj. 1. t. 16.

In arena volatile plantationis *Hamburg* et *Altona*.

Perennis. Floret per totum annum.

Descriptio Cel. VAHLII incompleta et una cum generis caractere pro parte falsa est, quare aliam hic tradimus.

Descript. Radices longe lateque repentes, teretes, articulati, fibris longis firmati. Culmi e radicum articulis orientes, 4 vel 6 - pollicares, erecti, rigidi, obsolete trigoni, inferne vaginis membranaceis, oblongis, acuminatis, ferrugineis, in folia transeuntibus obvallati, superne in ramos 3 — 5 subfastigiatos, superne dense foliosos divisi. Folia conferta, disticha, patentia, coriacea, rigida, lineari-subulata, pollicem vel sesquipollicem longa, inferiora sensim breviora et leviter recurvata, supra canaliculata, subtus convexa, apice pungentia, striata, margine serrato-aspera, utrinque glabra, subnitida. Florum capitula terminalia, solitaria, semi-

pollicem longa, ovata, sessilia, e spiculis approximatis imbricatis composita, foliisque summis involucrata. Spiculae sessiles, oblongae, acuminatae, e glumis calycinis 3 vel 4 distiche-imbricatis, constructae: quarum inferior ovata, superiores sensim majores; omnes membranaceae, acutae, striatae, pallide virides, punctis ferrugineis — excepto margine pellucido — notatae. Corolla 1-valvis, squama calycina terminali inclusa, crassiuscula, suberoso-carnosa, conduplicata, elevato-punctata, alba. Stamina exserta. Filamenta compressa. Antherae basi affixae, erectae, oblongo-lineares, acuminatae, luteae. Ovarium oblongum. Stylus staminibus longior. Stigmata recurvata. Nux corolla inclusa, oblonga, utrinque attenuata, subcompressa, fusca.

Optima cum Convolvulo canariensi et litorali illis terris stirps ad arenam firmandam. RODSCH.

II. DIGYNIA.

ERIOCHLOA. KUNTH.

HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. plant. i. p. 94. t. 30. et 31.*

Flores unilaterales. Cal. *) 2-valvis, 1-florus; gluma exterior in aristam subulatam acuminata. Cor. **) 2-valvis, calyce minor: valvula interior planiuscula. Semen ***) corolla inclusum.

1. ERIOCHLOA KUNTHII nob.

E. culmo pubescente, panícula pyramidata, valvulis corollinis glabris, exteriori arista subulata calycis longitudine terminata.

*) Calyx LINN. Gluma JUSS. Lepicena RICH. Tegmen BEAUV.

**) Corolla LINN. Calyx JUSS. Gluma RICH. Stragulum BEAUV. Paleae KUNTH.

***) Semen LINN. Caryopsis RICH.

In graminosis humidis plantationis *Hamburg*.

Perennis. Floret per totum annum.

Descript. Culmus erectus, tri-quadrupedalis, ramosus, teres, striatus, dense et mollissime in primis superne pubescens. Folia lineari-lanceolata, acuminata, lineas 6—8 lata, plana, nervo apicem versus evanescente percursa, striata, glabriuscula, ubi vaginis insident utroque latere pubescentia, margine scabra. Vaginae striatae, glabrae. Ligulae loco margo brevissimus, lanato-ciliatus. Panicula erecta, semipedalis circiter, e spicis copiosis, simplicissimis, apicem versus decrescentibus composita. Rachis communis ut partiales angulatae, subcompressae, una cum pedicellis lanatae, pilis intermixtis longioribus. Flores gemini, unilaterales, approximati, altero pedicellato, altero sessili. Pedicelli vix lineares, capitulo glabro fuscescente terminati. Calyris glumae membranaceae, subaequilongae, ovato-oblongae, in aristam brevissimam — quae in gluma exteriori apicem subsissam paulo supereminet — acuminatae, trinerves, pilosae, apicem versus glabrae. Corolla calyce tertia parte brevior: valvulae coriaceae, ellipticae, tenuissime punctatae, albae; exterior ventricosa, interior arcte amplectens, obsolete trinervis, glabra, apice hispidula, arista subulata, longitudine calycis glumae interioris, setulisque minimis patentibus obsessa terminata; interior paulo brevior, mutica, dorso planiuscula, margine nitido involuta, enervis, glaberrima. Filamenta brevissima. Antherae lineari-oblongae, utrinque fissae, luteae. Stigmata exserta, purpurea. Semen — quod immature tantum vidimus — corolla inclusum, ovatum, compressum, mucronulatum?

Species dicata Cel. KUNTHIO, generis hujusce fundatori, qui summa cura in opus magnificum, quo nova genera et species plantarum ab HUMBOLDTIO et BONPLANDIO detecta continentur, cui vix aliud argumenti ubertate et stirpium novarum divitiis par habendum est, impensa, orbi literario peritissimum et subtilissimum botanices indagatorem se impertit.

Affinis est haec stirps *Eriochloae polystachiae* HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 95. t. 31. et *Milio punctato* SW., quod etiam huic generi

adnumeramus; sed differt illa: flosculis solitariis, calycis glumis uninervis, (ex icone) magis villosis, valvula corollina exteriori brevissime — vix semilineae longitudine — mucronata, nec arista calycis longitudine terminata; — haec autem: culmo glabro, rachi spicarum filiformi, pedicellis non apice capitulo fusco terminatis, sed capitulis insidentibus? (volente SWARTZIO), arista corollina calycem superante, antheris purpureis nec luteis etc. Ab utraque insuper discedit *Eriochloa KUNTHII* statura duplo majori, foliis latoribus et paniculis longioribus.

Observat. Cel. KUNTHIUS genus *Eriochloam* inprimis praesentia involucri setosi flores cingentis a congeneribus discernit, pilos pedicellos vestientes pro involucro agnoscens; sed nos hac de re non in ea sententia esse, lubenter fatemur. Si pilorum dispositio et directio in ceteris hujus generis speciebus talis esset, qualem icon *Eriochloae distachyae* l. c. t. 30. f. 1. eam sistit, rationem KUNTHII omnino sequeremur, sed non ita est. In *Eriochloa polystachia*, nec non in *E. punctata* et *C. KUNTHII* superficies pilosa pedicellorum eadem est atque in reliquis paniculae partibus, et non nisi naturae inconvenienter pro involucro, ut pars propria, haberi potest. Tamen relicto involucri caractere alii, et ut nostra opinio fert, sufficientes adsunt characteres, qui *Eriochloam* a generibus *Milio* et *Paspalo*, ei affinitate proximis, discernunt. A *Milio* nempe nobis differt *Eriochloa*: floribus unilateralibus, calycibus aristatis, valvula corollina interiore non ventricosa sed planiuscula, et semine corolla quidem tecto sed non ea corticato. A *Paspalo* differt: glumis calycinis acuminatis, aristatis, corollaque multo longioribus.

PASPALUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 107. JUSS. Gen. p. 29. GAERTN. Fruct. I. p. I. t. 80.

Flores unilaterales, rachi dilatatae affixi. Cal. 2-glumis, 1-florus, glumis aequalibus suborbiculatis, corollam aequantibus. Cor. 2-valvis. Sem. corolla corticatum.

† Pedicellis solitariis.

1. P A S P A L U M conjugatum.

P. spicis duabus vel tribus conjugatis, rachi plana spicularum latitudine, glumis orbiculari-ovatis interiore ciliata, vaginis compressis, foliis glabriusculis.

Paspalus conjugatus, spicis duabus, conjugatis; rachi plana recta, spicularum longitudine; glumis orbiculato-ovatis, acutiusculis; interiore ciliata; vaginis compressis; foliis glabriusculis. FLUEGG. *Gram.*

Monog. 1. p. 102.

P. conjugatum. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 333.

ICON. BEGGIUS in *Act. Helvet.* 7. t. 8.

GAERTN. *Fruct.* 2. t. 30. f. 4.

Copiosissime in insula *Arowabisch*.

Perennis. Floret toto anno.

2. P A S P A L U M platycaule.

P. spicis subtribus, rachi triquetra spiculis angustiore, glumis oblongis acutis pubescentibus valvas subaequantibus; vaginis laevibus, culmo subuninodo.

Paspalus platycaulis, spicis subtribus; rachi triquetra spiculis angustiore; glumis lanceolatis, pubescentibus, valvarum fere longitudine; vaginis laevibus; culmo uninodo.

In graminosis continentis.

Perennis. Floret Januario.

Culmus in nostro specimine, quod collatum cum aliis, quae Cel. FLUEGGEUS ipse agnovit, non erectus sed ascendens est, et nodos duos habet.

†† Pedicellis geminis pluribusve aut divisis.

3. P A S P A L U M virgatum.

P. spicis pluribus, rachi plana spiculis paulo angustiore, glumis obovato-orbiculatis apice plerumque hirsutis, foliis glabris margine scaberrimis.

P. virgatus, spicis pluribus; rachi plana, spiculis paulo angustiore; glumis obovato-orbiculatis, obtusis, quinquenerviis, apice plerumque hirsutis; foliis glabris, margine scaberrimis. FLUEGG. *Gram. Monog.* 1. p. 189.

ε. RODSCHEDIANUM: rachi subintegerrima, spiculis glabris.

In arenosis umbrosis continentis.

Perennis. Floret Octobre.

PANICUM LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 108. JUSS. *Gen.* p. 29. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 2. t. 1.

Cal. 3-glumis, 1-vel 2-florus, gluma tertia minore. Cor. hermaphrod. 2-valvis, neutra 1-valvis. Sem. corolla corticatum.

† Inflorescentia subspicata.

* *Spica solitaria.*

1. PANICUM myurum.

P. panicula spiciformi elongata, floribus teretibus acuminatis; foliis lato-lanceolatis basi amplexicaule subbilobis.

P. myuros, panicula lineari longissima, racemulis lateralibus brevissimis strictis, glumis acutis. LAM. *Illustr.* n. 896.

Agrostis monostachya. POIR. *Encyc. meth. Suppl.* 1. p. 256.

Panicum amplexicaule. RUDG. *Plant. rar. Guj.* 1. p. 21.

ICON. BEAUV. *Agrost.* t. 10. f. 8.

RUDG. *l. c.* t. 27. (*optima*).

In continente et in insula Arowabisch.

Annua. Floret . . .

Species inflorescentia spicam cylindricam pedem longam, et lineas 4 — 6 latam referens, maxime insignis.

** *Spicae plures alternantes.*

2. PANICUM fluitans.

P. spicis linearibus secundis, floribus subrotundo-ovatis, calycis glumis majoribus longitudine corollae; culmo foliisque linearibus glabris.

P. fluitans, spicis alternis sessilibus secundis, valvula calycina tertia minuta. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 538.

ICON. PLUCK. *Amalth.* t. 417. f. 7.

Ad fossas et in locis inundatis.

Annua? Floret

En florum latiore descriptionem, quorum RETZIUS *Observat.* 3. p. 8. brevem tantum mentionem fecit: ovati sunt, hinc convexi inde plani, quare Paspali florum habitum referunt. Calyx biflorus: glumae membranaceae, nervis viridibus notatae, pilis rigidiusculis brevibus inprimis ad nervos et in margine nunc magis nunc minus adspersae; minima subrotundo-ovata, basi perforata, trinervis; reliquae duae duplo majores, ovatae, acutae, minimae opposita ventricosa, 5-nervis, intermedia plana 3-rarius 5-nervis. Corollae neutrae valvula membranacea, tenera, forma varians, nunc subrotundo-ovato, nunc oblonga, obtusa, plana, enervis, interdum margine tenerrimo viridi cincta. Corolla hermaphrodita magnitudine calycis glumarum majorum: valvulae coriaceae, laevissimae et nitidissimae, altera convexa, altera plana. Semen elliptico-subrotundum, hinc planum, inde convexum, album.

Observat. Verosimiliter P. fluitans specie non diversum a Panico brizoide sed sola ejus varietas est.

3. PANICUM velutinum. nob.

P. spicis oblongis sessilibus, spiculis 2—3 floris, calycibus triaristatis, arista exteriori longiore; foliis lanceolatis subtus velutino-pubescentibus.

In nemorosis plantationis *Sophienburg.*

Annua? Floret Januario etc.

Descript. Culmi pedales, debiles, basi decumbentes, ramosi, teretes, striati, tenuissime inprimis ad genicula pubescentes. Folia erecta vel erecto-patentia, lanceolata, pollices duo cum dimidio longa, semipollicem lata, plana, margine transversim undulata et scabra, supra pubescenti-scabriuscula, saturate viridia, subtus mollissime pubescentia et basin versus pilosa. Vaginae laxiusculae, sulcato-striatae, pubescentia erecta vestitae, ad oras pilosae. Ligula brevissima, truncata. Racemus spicatus, 5 vel 6-pollicaris, e spicis 6 — 8 sessilibus, alternis, erecto-adpressis compositus. Spicae inferiores remotae, lineas 8 — 10 longae, lineari-oblongae; reliquae minus remotae et breviores, ovato-oblongae. Rachis universalis angulosa, sulcata, in superiori parte compressa et pilosa; partiales hinc angulosae, inde planae, sulcatae, pilis rigidiusculis adpersae. Spiculae approximatae, secundae, basi setis nonnullis rigidis stipatae, bi-triflorae. Flores sessiles, oblongi. Calyx 1-vel 2-florus: glumae membranaceae, concavae, nervis viridibus notatae, pilisque brevibus rigidiusculis adpersae, aristatae; exteriores duae fere ejusdem longitudinis, ovatae, superioris arista 5 — 6 lineas longa, arista inferioris triplo brevior; gluma intermedia reliquis paulo longior, arista brevissima terminata. Corollae neutrae valvula, quae rarius adest, membranacea, lineari-oblonga. Corolla hermaphrodita longitudine calycis glumae intermediae: valvulae cartilagineae, ovato-oblongae, obtusiusculae, muticae, laeves, nitidissimae. Filamenta tenuissima. Antherae ochraceae. Stigmata purpurea. Semen non vidimus.

Species affinis est *Panico hirtello* et *Burmanni*, nec non *Orthopogoni aemuli* R. BROWN. A *P. hirtello* differt: foliis angustioribus, exacte lanceolatis, subtus densissime pubescentibus, quasi velutinis; nec ovato-lanceolatis et acuminatis, quae semper in omnibus *P. hirtelli* varietatibus, nec glabris vel pilis rarioribus tantum adpersis; — racemo spicato triplo longiore, spicis remotis, e spiculis 6 — 8 compositis; in *P. hirtello* spiculae omnes approximatae et immediate rachi universali insident; — setis tandem ad basin spicularum, quae desunt in *P. hirtello*. A *Panico Burmanni* cui, ad spicas si respiciamus, nostra species magis

affinis, differt: racemo erecto, non pendulo; spicis sessilibus, nec longius pedicellatis, foliisque duplo longioribus etc. Ab *Orthopogone aemuli* tandem discrepat, spiculis 2—3, non 4—6 floris; calycis gluma intermedia (flosculo neutro *BROWNII*) aristato, nec mutico, foliorumque superficie. Quo modo diversa est a *P. setario* LAM. *P. bromoide* LAM. *P. loliaceo* LAM. et *P. sylvatica* LAM. ex descriptione patet.

Anglicis hoc gramen Podgegrass dicitur, et pro optimo et dulcissimo pecorum pastu habetur. RODSCH.

4. PANICUM Crus galli.

P. spicis paniculatis cylindricis alternis conjugatisve, calycibus hispidis aristatis; foliis lineari-lanceolatis glabris.

P. Crus galli, spicis alternis conjugatisve, spiculis subdivisis, glumis aristatis hispidis, rachi quinquangulari. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 337.

P. Crus corvi, spicis alternis secundis spiculis subdivisis, glumis subaristatis hispidis, rachi trigona. WILLD. *l. c.*

ICON. *Engl. Bot.* t. 876.

HOST. *Gram.* 2. t. 19.

β. aristatum, glumis calycinis omnibus aristatis, aristis praelongis.

P. stagninum, panicula oblonga secunda, ramis alternis, rachi angulata, spiculis subtrifloris aristatis, calyce trivalvi hispido. HOST. *Gram.* 3. p. 35.

ICON. HOST. *l. c.* t. 51.

Utraque varietas in locis humidis plantationis *Hamburg* frequens.

Annua. Floret Junio, Julio.

Variat culmis duplo altioribus et crassioribus, nec non foliis duplo vel triplo latioribus. — An etiam *P. stagninum* ROTZ. *Observ.* p. 17. hujus loci?

** *Spicae plures verticillatae.*

5. PANICUM horizontale.

P. spicis verticillato - paniculatis pilis singulis adspersis, floribus oblongo-lanceolatis, foliis vaginisque pilosovillosis, culmis basi radicanibus.

Digitaria horizontalis, spicis verticillato-paniculatis horizontalibus, flosculis lanceolatis margine pubescentibus, foliis vaginisque pilosis, culmis adscendentibus basi radicanibus. WILLD. *Enum.* p. 92.

In umbrosis arenosis continentis.

Annua. Floret Octobri.

Descriptionem hujus speciei hucusque indescriptae a Cel. WILLDENOWIO diagnosi tantum indicatae addimus.

Descript. Culmi caespitosi, adscendentes, e geniculis inferioribus infractis radices emittentes, pedes $1\frac{1}{2}$ vel 3 alti, penna columbina tenuiores, in inferiori parte alternatim subcanaliculati, laeves, superne teretes, subcompressi, striati, glabri. Nodi glabri, fusi. Folia linearia, acuminata, margine scabra, dorso nervo costali prominente notata, una cum vaginis utrinque striata, et pilis sericeis tuberculis insidentibus vestita. Pili in foliis patentes, in vaginis divergentes: tubercula in foliis obsoletiora, in vaginis majora, nitida et foveola vertice exsculpta. Ligula obtusa, plerumque fissa. Spicae triunciales circiter, patentes, plerumque in verticillos duo, quorum alter terminalis, alter pollicis intervallo inferius collocatus, confertae, quos inter spica una vel altera solitaria. Rachis universalis recta, quadrangularis; partiales leviter flexuosae, triangulares, marginibus hispidae, et insuper pilis singulis rigidiusculis inprimis ad pedicellorum insertionem adspersae. Spiculae biflorae, rachi latere exteriori ad angulum alternatim adnatae. Flores rachi adpressi, mutici, alter pedicellatus, alter subsessilis. Pedicelli angulati, hispiduli. Calyx triglamis uniflorus: gluma exterior minutissima, squamaeformis, subpatens, enervis, glabra; reliquae duae corollae appressae, minimae proxima — sive intermedia — magnitudine corollae, oblongo-lanceolata, dorso planiuscula, margine extremo subhispidula co-

rollam amplectens, quinquenervis; tertia intermediae opposita ea duplo brevior et angustior, linearis, acuta vel obtusa, plana, margine lacinulato-ciliata, trinervis. Corollae valvulae subcoriaceae, laeves, vix nitidae; altera oblongo — lanceolata, parum concava, medio nervo obsoleto — interdum deficiente — notata, alteram angustiozem amplectens. Antherae breves, fusco-luteae. Stigmata purpurea.

Observat. Cel. WILLDENOWIUS spicas horizontales l. c. vocavit et hac conditione nomen instituit; sed tum in herbarii Clar. SCHRADERI speciminibus, tum in nostris spicae patentes sunt.

6. PANICUM lineare.

P. spicis verticillato-digitatis, floribus oblongis, foliis vaginisque subglabris, supra ligulam pilis nonnullis stipatis, culmis basi radicantibus.

P. lineare, spicis digitatis subquaternis linearibus, flosculis solitariis secundis muticis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 344.

ICON. BURRM. *Ind.* t. 10. f. 5.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 70. f. 5.

In graminosis continentis.

Annua. Floret . . .

Habitu speciei antecedenti valde similis: differt foliis angustioribus, una cum vaginis ut plurimum glabris, supra ligulam tantum pilis nonnullis albidis notatis. Insuper utraque stirps florum structura paululum discrepat. Spicae in hac verticillato-digitatae, quibus rarius ramorum verticillus secundus Panici horizontalis, et tunc terminali magis approximatus, accedit. Rachis universalis, si adest, triangularis; partiales quam in P. horizontali paulo latiores, nullisque pilis adpersae. Flores oblongi, acuti. Calycis gluma exterior saepissime ex toto deest; intermedia oblonga, margine subglabra rarius hispidula, quinquenervis; illi opposita sive interior minuta, acuta, margine — si gluma exterior deest — ut plurimum integerrima, glabra — si illa adest — lacinulato-ciliata, subtrinervis.

Observat. Verosimiliter tamen *P. horizontale* et *P. lineare* nil nisi varietates sunt, quod ulterius disquirendum. In nonnullis speciminibus *P. linearis*, solo verosimiliter sicciore enatis, folia plus minus pilosa, atque pilum setaceum unum alterumve inter flores observavimus.

†† Inflorescentia paniculata.

7. PANICUM frondescens. nob.

P. panicula simplici coarctata, floribus confertis oblongis acuminatis; culmo ramosissimo, foliis oblongo-lanceolatis.

In graminosis umbrosis insulae *Arouabisch*.

Annua? Floret Januario, Febuario etc.

Descript. Culmi pedales vel bipedales, ramosissimi, geniculis pluribus intercepti, basi repentes, et geniculo uno alterove infracti, parte superiori adscendentes, ut rami erecto-patentes, penna columbina tenuiores, teretes, subcompressi, magis minusve pubescentes, inprimis sub geniculis, quorum infima paululum tumida, et omnia annulo nigricante notata. Folia copiosa, patentia, oblongo-lanceolata, pollices duos cum dimidio longa, lineas 6 — 8 lata, margine serrulato-scabra, plana, striata, nunc subglabra, nunc scabriuscula et basin versus pilis brevibus adpersa, supra saturate viridia, subtus pallidiora. Vaginae internodiorum longitudine, ad foliorum insertionem subtruncatae, culmum arcte includentes, subcompressae, sulcatae, ad oras pilis patentibus ciliatae. Ligula nulla. Paniculae terminales, racemosae, erectae, coarctatae, pollices 2 — 3 longae, paulo ultra semipollicem latae. Rachis recta, compressa, sulcato-striata, inferne subglabra, ad ramorum ortum pubescens, superne scabra. Rami inferiores alterni, remotiusculi, superiores subverticillati; erecto-patentes vel patentes, semiunciam circiter longi, simplicissimi, compressiusculi et fere glabri. Spiculae biflorae, dense confertae, secundae. Flores oblongi, acuminati, compressi, alter pedicello brevi suffultus, alter subsessilis, saepe incompletus. Calyx uniflorus, muticus: glumae membranaceae, glabrae, lutescenti-

virides, margine albidæ; minima ovata, medio nervo notata; reliquæ duæ quadruplo majores, oblongæ, acuminatæ, nervis nonnullis obsoletis percursæ, minimæ proxima, sive intermedia altera, paululum major, submucronata, basi corollam amplectens. Corollæ valvulæ subcoriaceæ, oblongæ, laeves, nitidæ, albæ. Antheræ pallide fuscæ. Flos incompletus ut plurimum neuter: valvula membranacea, diaphana.

Forsitan affinis est hæc species *Panico grossario* L., quod nobis ignotum.

8. PANICUM pilisparsum. nob.

P. panicula simplici elongata, ramis pilis setaceis adspersis, floribus ovalibus subpendulis, culmo ramoso adscendente.

In graminosis humidis plantationis *Hamburg*.

Annua? Floret Martio et Septembri.

Descript. Culmi bi- vel tripedales, pennæ gallinacæ crassitiæ, geniculati, ad genicula inferiora infracti et ramosi, reliqua parte adscendentes, teretes, inferne compressi, sulcati, glaberrimi. Genicula fusca, glaberrima. Rami patentes vel divergentes. Folia firma, lineari-lanceolata, acuminata, nervo costali valido dorso prominente percursa, subplicata et striata, margine serrato-scabra, supra scabriuscula, subtus glabra, subnitida. Vaginae internodiorum longitudine, sulcatæ, glabræ, ad oras subpilosæ. Ligula nulla. Panicula racemosa, erecta, pedem circiter longa et unciam lata. Rachis recta, angulosa, sulcata, superiori parte imprimis scabra. Rami inferiores remoti, verticillati, biunciales et longiores; superiores approximati, sparsi, vix unciales: omnes patentes, simplicissimi, leviter flexuosi, triangulares, scabri, pilisque solitariis floribus longioribus setaceis adspersi. Spiculæ bi- rarius trifloræ, confertæ, secundæ, subpendulæ, muticæ. Flores minuti, ovals, alter pedicello brevi insidens, alter sessilis, plerumque duplo angustior et masculus. Calyx uniflorus, muticus, glumæ membranacæ, nervosæ, ad nervos et apice pilis minutissimis adspersæ, lutes-

centi-virides, nitidae; minima ovata, subcarinata, uninervis; reliquae duae duplo longiores, oblongae, acutiusculae, concavae, nervis tribus — quorum intermedius evidentior — praeditae. Corollae valvulae subcoriaceae, lineari-oblongae, laeves, pallide flavescentes, nitidae. Antherae flavae. Stigmata alba. Flores incompleti masculi valvula membranacea, plicata.

Panicum ramosum L. quod ex rarioribus et dubiis nobis ignotum, nostro affine videtur.

9. PANICUM tenuiculmum. nob.

P. panicula simplici nutante, ramis inferioribus remotis, floribus ovali-oblongis approximatis, foliis linearibus laxis.

In graminosis rarius.

Annua. Floret Januario — Martio.

Descript. Culmi vix pedales, pennae passerinae crassitie, debiles, laxi, compressi, striati, glabri vel obsolete puberuli, foliis 2—3 praediti, superiori parte nudi. Nodi glabri. Folia linearia, acuminata, lineas 3 lata, tenuissime striata, superficie culmi, Vaginae laxae, striatae, ad oras pilis brevibus densis albidisque ciliatae. Ligula nulla. Panicula simplex, laxa, superiori parte nutans. Rachis inferne compressa, superne angulata, glabriuscula. Rami alterni, patentes, infimi 2—3 valde remoti, reliqui magis approximati et subfastigiati: omnes simplicissimi, compresso-angulati, leviter flexuosi, scabriusculi. Spiculae 4- vel 5-florae, confertae, secundae, muticae. Flores gemini, minutissimi, vix seminis *Papaveris* magnitudine, ovali-oblongi, alter pedicello longiori, alter breviori insidens vel sessilis. Calyx uniflorus: glumae membranaceae, ad nervos pilis minutissimis adpersae, obscure virides, margine albae; gluma minima subrotundo-ovata, uninervis; reliquae duae duplo vel triplo longiores, oblongae, obtusiusculae, concavae, bi- vel trinerves. Corollae valvulae subcoriaceae, lineari-oblongae, albae, nitidae. Antherae luteae. Stigmata alba.

Flores nostrae speciei valde similes Panici agrostidiformis LAM. et etiam Panici pilisparsi nob. floribus, sed minores: in reliquis partibus Panicum tenuiculmum autem valde diversum ab illis. Panicum micranthum HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 105, quod nostro ad inflorescentiam et flores si spectes, affine videtur, differt culmo et foliis rigidis, nodis pilosiusculis etc. Cel. KUNTHIUS P. micranthum Panico nodifloro SW. affine censet. Sed ubi SWARTZIUS P. nodiflorum descripsit? An KUNTHIUS P. nodiflorum LAM. *Encyclop. meth.* 4. p. 744 intellexit? Hoc differt a nostro ramificatione, foliis, paniculis minoribus, ramisque rarifloribus.

10. PANICUM isocalycium. nob.

P. panicula erecta flexuosa, ramis basi pilorum fasciculis stipatis, floribus oblongis acuminatis, calycis valvulis omnibus aequilongis 7- vel 9 nervibus.

In arenosis umbrosis continentis.

Annua? Floret Octobri.

Descript. Culmi basi procumbentes, superiori parte adscendentes, tri- vel quadripedales, pennae gallinaceae crassitie, approximate geniculati, teretes, inferne inprimis compressi, sulcati, glabrl. Nodi glabri, subfusi. Folia firma, patentí-erecta, lato-lanceolata, acuminata, semipedem circiter longa, lineas 6—8 lata, inferne angustiora et basi oblique rotundata, margine scabra, juniora basin versus ciliata, striata, utrinque glabra. Vaginae internodiis duplo longiores, laxae, compressae, striatae, granulis minutis adspersae, glabrae, inferiori parte ad oras pilis mollibus, albis ciliatae. Ligulae loco margo subcartilagineus, brevissimus, et pili subrigidi, basin foliorum extremam tenentes. Panicula subsimplex, erecta. Rachis una cum ramis parum flexuosa, inferne semiteres, canaliculata, glabra, superne angulata, subscabra. Rami inferiores verticillati, superiores sparsi, erecto-patentes, teretes, scabriusculi, ad basin — inprimis inferiores — fasciculo pilorum lanuginoso stipati. Spiculae biflorae, muticae. Flores pedicellati; pedicellus flosculi in-

ferioris altero duplo brevior. Calyx biflorus: glumae omnes tres ejusdem magnitudinis, membranaceae, oblongae, acuminatae, concavae, nervis 7 vel 9 notatae, punctis minutis elevatis adpersae, glabrae, virides. Corollae neutrae valvula membranacea, tenera, diaphana, lineari-oblonga, obtusa, ut plurimum plicata. Corolla hermaphrodita longitudine calycis: valvulae subcoriaceae, oblongae, acutae, laeves, pallide flavae, nitidae. Antherae lineari-oblongae, utrinque bifidae, fusco-rubrae, linea intermedia longitudinali lutea. Styli basi connati. Stigmata nigrescenti-rubra. Semen oblongum.

Species ab omnibus, excepto *Panico aturensi* HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. 1. p. 105. t. 33.* calycis glumis omnibus tribus ejusdem magnitudinis distincta. In *P. aturensi* calyx eadem fere structura est, et tota planta nostrae similis; sed differt: foliis angustioribus, lanceolatis, non acuminatis (quamquam in descriptione acuminata dicuntur), vaginis internodiorum tantum longitudine, ramis pilorum fasciculis insignibus destitutis, glumisque calycinis trinerviis.

11. PANICUM⁴ insulare. nob.

P. panicula simplici subcoarctata, ramis erectis sparsis, floribus lanceolato-oblongis, glumis calycinis majoribus sericeo-lanuginosis.

Andropogon insulare, panicula laxa glabra, flosculis geminis muticis; pedicello altero brevior, calycibus lanatis. LINN. *Spec. pl. ed. 2. n. 1480.*

Milium villosum. WILLD. *Sp. plant. 1. p. 361.* (exclusa varietate β . BROWN. *Jam. 129.*

Panicum leucophaeum? HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. 1. p. 97.*

ICON. SLOAN. *Hist. 1. t. 14. f. 2. (mala.)*

In insula *Arowabisch.*

Perennis. Floret Junio et Julio.

Descript. Radix nodosa, fibris albidis firmata. Culmi plures ex una radice, usque ad 5 vel 6 pedum altitudinem adsurgentes, graciles, stricti, in inferiori parte subcompressi, inter nodos — quorum infimi paululum intumescens — alternatim canaliculati, glaberrimi, nitidi, straminei, superne nodis remotissimis interstincti, teretes, striati, virides, per totam longitudinem foliosi, et basi ramosi. Folia erecto-patentia, linearia, acuminata, nervo costali tenui, nitido, percursa, glabra, margine scabriuscula, saturate viridia. Vaginae culmum longissime involventes, striatae, glabrae, vix pilo uno alterove adspersae. Ligula subtruncata, margine lacinulata, saepe fissa. Panicula semipedalis circiter, stricta, ante et post anthesin coarctata. Rachis inferne alternatim tenuiter canaliculata, glabra, superne una cum ramis sparsis simplicissimis tri- vel quadriangulata, angulis acutis, hispidis, viridibus. Spiculae alternae, biflorae. Flores pedicellati. Pedicelli angulati, hispidi, inferior superiori tertia parte brevior. Calyx uniflorus: gluma minima subrotundo-ovata, interdum oblongo-subrotunda, pellucida, glaberrima; gluma minimae proxima oblongo-lanceolata, acuminata, nervis viridibus 5 vel 7 notata; ei opposita paulo brevior, oblongo-linearis, nunc obtusiuscula nunc acutiuscula, nervis 3 distincta, utraque membranacea, lana albida splendente post anthesin crescente et subfuscescente vestita. Corolla bivalvis: valvulae coriaceae, margine membranaceae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, exterior concava, nervis tribus — quorum laterales remotae et obsoletiores — notata, interior binervem et inter nervos distantes planiusculam, margine albicante amplectens; utraque glabra, tenuissime punctata, interne nitidissima, in anthesi albida, deinde purpureo-fusca. Filamenta brevia, tenuissima. Antherae lineares, utrinque bifidae. Stylus brevis. Stigmata 3 capillaria, flexuosa, albida. Semen corolla corticatum, ellipticum, hinc planiusculum inde convexum, punctatum, diaphanum, albidum.

Sic hanc stirpem in permultis speciminibus tam a beato RODSCHERDIO lectis, quam ab amicissimo MERTENSIO ex iisdem terris acceptis observavimus.

Panicum leucophaeum KUNTH. cui synonyma *Milii villosi* et *Andropogonis insularis* L. adfert, secundum descriptionem l. c. datam — ob genitalium et seminis defectum haud absolutam — non omnino cum nostra stirpe convenit, quia folia scabra, subtus glaucescentia, et paniculae subpedalis rami verticillati et subfastigiati vocantur. Numerus nervorum glumae calycinae maximae (paleae floris sterilis KUNTH.) et corollae valvularum non indicatus est. Igitur incerti haesimus, an *P. leucophaeum* eadem stirps sit, quae nostra, nec ne, quare descriptionem fusiorem hujus adjecimus.

12. PANICUM glutinosum.

P. panicula composita divaricata, floribus subrotundo-ovatis glutinosis; culmo erecto, foliis lanceolatis divergentibus.

P. glutinosum, panicula composita patente: ramis flexuosis, glumis ovatis viscosis majusculis, culmo subramoso. LAM. Ill. n. 921 (fide specimenis a LAMARCKIO missi in herbario Cel. SCHRADERI.)

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 71. f. 5. (optima.)

In fruticetis plantationis *Sophienburg*.

Perennis. Floret Januario — Martio.

Descript. Culmi 8 vel 10-pedales, inferne pennae anserinae crassitie, rigidi, teretes, glaberrimi, inferiori parte ramosissimi. Rami sparsi, patentes vel divergentes, saepe iterum ramosi. Folia disticha patentidivergentia vel divaricata, firma, lineari-lanceolata, acuminata, basi rotundata, margine serrulato-scabra, plana, striata, supra glabra, subtus tenuissime adpresso-pubescentia. Vaginae subcompressae, striatae, glabrae, ad oras ciliatae. Ligula brevis, truncata, irregulariter ut plurimum fissa, et in medio obsolete ciliata. Paniculae culmum ramosque terminantes, ovato-oblongae, squarrosae. Rachis stricta, angulata, sulcata, et inprimis apicem versus scabra. Rami sparsi, patentes, nonnulli divergentes, inferiores in ramulos plures divisi, superiores simplices, triangulati, striati et ad angulos scabri. Spiculae subuni-

florae, muticae. Flores pedicellis nunc longioribus nunc brevioribus, subflexuosis, angulatis suffulti, Piperis seminis magnitudine, subrotundo-ovati. Calycis glumae ventricosae, multinerves, apice fasciculo brevi lanæ albae barbatae; infima, sive minima, ovata, inflata, nervis inprimis carinali scabriuscula; gluma minimae opposita triplo major, subrotunda; intermedia hacce vix paulo longior, subrotundo-oblonga, utraque glabra, nitida, e saturate viridi in violaceum vergens. Corollae masculae valvulae membranaceae, oblongo-ovatae, enerves, apice ciliatae. Corollae hermaphroditae valvulae coriaceae, in apicibus nigricantibus uti calycis glumae barbula notatae, tenuissime striatulae, nitidae, albescenti-brunneae; exterior ovata, ventricosa, interiorem oblongo-ovatam planiusculam amplectens. Antherae lineares, flavae. Stigmata pallide flava. Semen non vidimus.

Observ. *P. glutinosum* SW. *Ind. occid.* 1. p. 174 quidem *P. glutinoso* LAM. valde affine, sed culmum simplicem, folia pollicis latitudine dicit Cel. auctor. Utrum varietas nostrae stirpis foliis latioribus sit, an majori jure ad *P. divaricatum* LAM. — quod verosimiliter *P. latifolium* LINN. — trahendum, res nobis dubia est. *P. divaricatum* LAM. est *P. glutinoso* valde similis, tamen differre videtur: foliis lanceolatis, utrinque glabris, paniculis paucirameis, ramis omnibus divergentibus vel divaricatis, calycis et corollae valvulis obovatis etc. *P. divaricatum* LINN. *Amoenit.* 5. p. 392 est planta dubia, de qua ob nimis brevem adumbrationem nil certi dicendum est.

13. PANICUM altissimum. nob.

P. panicula verticillata laxa, ramis simplicibus elongatis paucifloris, floribus ovatis, vaginis papillato-setosis foliis lanceolatis.

In sylvis humidis plantationis *Hof van Holland.*

Perennis. Floret Octobre.

Descript. "Culmi arboribus vicinis acclives usque ad 20 vel 30 pedum altitudinem adscendentes," crassitie digiti, teretes, subcompressi, striati,

glabri, ramosissimi. Rami divergentes vel divaricati. Folia lanceolata, longe acuminata, basi truncato-rotundata, plana, margine scabra, striata, utrinque glabra, juniora plus minusve scabriuscula. Vaginae profunde nervato-sulcatae, setis pungentibus tuberculis callosis insidentibus tectae. Ligula brevis, truncata et obsolete ciliata. Panicula pedem cum dimidio longa, virgata, laxa, pauciflora. Rachis angulata et sulcata, inferne subcompressa, glabra, superne scabra. Rami in verticillos remotos plerumque 7 vel 8 pilosos collati, elongati, simplicissimi, ante florescentiam erecto-patentes, deinde divergentes, statuque fructifero nutantes, leviter flexuosi, et una cum pedicellis angulati, sulcati et scabri. Spiculae remotissimae, alternae, subbiflorae. Flores seminis Piperis magnitudine, ovatae, acutae, alter pedicellatus, alter sessilis vel brevissime pedicellatus, saepe imperfectus. Calyx uniflorus: glumae membranaceae, glabrae, nervosae, flavae, apice virides, deinde fusciscentes; minima subrotundo-ovata, basi perforata, subinflata, trinervis; reliquae duae triplo majores, ovatae, ventricosae, nervis 8—10 viridibus distinctae. Corollae valvulae coriaceae, oblongo-ovatae, laevissimae, nitentes; exterior concava, interior planiusculam marginibus amplectens. Antherae pallide fuscae. Stigmata alba.

Magnitudine ingenti haec stirps affinis *P. arborescenti*, cui folia autem ovato-oblonga et vaginae glabrae sunt.

Vidi hoc gramen ad arbores adnixum saepe 20 vel 30 pedum altitudinem attingens. ROPSCH.

Observat. 1. Quod ad id attinet, quanam pars in genere *Panico* pro calyce et pro corolla habenda sit, Clar. SCHREBERI sententiam secuti sumus, qui calycem trivalvem statuit, valvulam tertiam minutam pro valvula accessoria habens. Haec ratio naturae omnino magis conveniens nobis videtur. Substantia, nervi, superficies et color has tres glumas omnino jungunt et a corollinis valvulis insigniter distinguunt: flos masculus vel neuter, si adest, non latere concavo, sive facie, sed dorso

glumae calycinae intermediae obversus est, igitur re vera nulla relatio cum ea intercedit.

Observat. 2. A genere Panico vel ob characteres ex toto deficientes vel insufficientes genera ista a Cel. BEAUV. in *Agrostographia* proposita non separanda sunt, nempe:

Paractaenum. p. 47. t. 10. f. 6.

Hymenachne. p. 48. t. 10. f. 8.

Monachne. p. 49. t. 10. f. 9 et 10.

Echinochloa. p. 53. t. 11. f. 2.

Oplismenus. p. 53. t. 11. f. 3. (Orthopogon R. BROWN. *Prod.* p. 194.)

Causam haud sufficientem deprehendimus cur Cel. HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. pl.* genera duo postremo loco dicta, sub nomine Oplismeni conjuncta, ut genus proprium acceperint. Quo jure, quaerimus, sola aristae praesentia vel absentia, omni alio caractere deficiente, genus constituat? Quippe quae res, ut multa graminum genera docent, tam levis et variabilis est, ut ne species quidem ob id disjungi possint. Nempe tum cogimur quoque Agrostin caninam a varietate floribus muticis — A. albam et A. vulgarem a varietatibus floribus aristatis — Festucam tenuifoliam, F. spadiceam etc. a reliquis, floribus aristatis gaudentibus — Bromum inermem a ceteris speciebus — Tritici repentis varietatem flosculis muticis — Lolium perenne a L. temulento etc. etc. ut propria genera sejungere.

CENCHRUS LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1574. JUSS. *Gen.* p. 30. GAERT. *Fruct.* 2. p. 4. t. 80.

Involucrum laciniatum, echinatum, 1-5 florum. Cal. 2-valvis, 2-florus. Cor. hermaph. 2-valvis, flosculi unisexualis vel neutrius 1- vel 2-valvis. Styli 2, infra connati.

1. CENCHRUS echinatus.

C. spica spiculis approximatis, involucris decempartitis villosis. VAHL. *Enum.* 2. p. 595.

ICON. SCHREB. *Gram.* 9. t. 23. f. 1.

PLUCK. *Almag.* t. 92. f. 3.

In dumetis locis arenosis plantationis *Sophienburg*.

Annua. Floret Januario, Junio.

SACCHARUM LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 104. JUSS. *Gen.* p. 30. GAERTN. *Fruct.* 2. p. II. t. 82,

Flores omnes hermaphroditi. Cal. 2-glumis, sub 2-florus, externe vel basi lanugine sericea vestitus. Cor. interior hermaphrodita 2-valvis, valvula altera obsoleta; exterior neutra, 1-valvis, hermaphroditam amplectens. Sem. liberum, corolla tectum.

1. SACCHARUM officinarum.

S. panicula verticillata effusa, floribus triandris, calycibus glabris, basi pilis involucrentis.

S. officinarum, floribus paniculatis, foliis planis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 321. RODSCH. *Observ.* p. 82.

ICON. RUMPH. *Amboin.* 5. t. 74. f. 1.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 66.

Spontanea in inundatis locisque humidis; culta ubique in plantationibus.

Perennis. Floret rarius Septembre, Januario.

Observat. Clar. JACQUINUS nuperrime in *Eclogis plant. Gram. Fasc. 1. p. 7.* data occasione refert, in exemplo Sacchari officinarum in *Surinamo* lecto flores neutros pedicellatos hermaphroditis ad-

stantes adesse. Qua ratione *Erianthum saccharoidem* WILLD. *Enum.* ad genus *Saccharum* transfert. Hanc mutationem vix approbare possumus, quia unicum justum discrimen *Saccharum* inter et *Andropogon* (Genus *Erianthus* WILLD. non servandum, sed omnino cum *Andropogone*, a quo nullis momentis differt, conjungendum est.) in floribus illius omnibus hermaphroditis quaerendum est: discrimen cujus in speciebus distribuendis severe ratio habenda, ne limites inter utrumque genus ex toto dilabantur. Nos igitur potius in sententia sumus, *Saccharum* officinarum, si flores revera tales, quales indicavit JACQUINUS, ad *Andropogones* referendum esse. Igitur cum vera florum *Sacchari* officinarum natura, ob raritatem paucis botanicis observatorum, haud satis explorata videatur, non inutile putamus, eorum descriptionem ex speciminibus optime conservatis adjicere.

Panicula effusa, 2-pedalis, erecta. Rachis valida, stricta, teres, obtuse angulata, ad ramorum ortum in angulis leviter villosa, caeterum glaberrima, nitida. Rami verticillati, plerumque 7 in uno verticillo, interjectis nonnullis irregulariter sparsis, primo erecto-patentes, deinde patentes, elongati, alternatim ramosi, ramulis simplicissimis, gracilibus, obsolete angulati, basi villosi, ad angulos pilis sericeis plus minusve adspersi, nitidi, excepta inferiori parte articulati, ad articulos leviter flexuosi. Articuli trilineares, basi attenuati, apice parum incrassati, in vertice foveola cui articuli superioris basis inserta exsculpti, pilisque brevibus adspersi. Flores in utroque articulo aut duo, quorum alter sessilis alter pedicellatus, aut quatuor quorum duo sessiles, et duo laterales pedicellati. Omnes, tam sessiles quam pedicellati, hermaphroditi. Pedicelli florum lateralium articulis similis, sed tenuiores et duplo triplo breviores. Calyx 2-glumis, basi pilis sericeis flore duplo longioribus, patentibus, albis cinctus, biflorus. Glumae chartaceae, subdiaphanae, oblongo-lanceolatae, convexae: exterior superne leviter incurvata, apice obtusiuscula submarginata, obsolete binervis, inter nervos planiuscula, rarius subuninervis, glaberrima; interior vix paululum minor, apicem versus carinata, acuminata, uninervis, interdum nervis duobus lateralibus insuper obsoletissimis notata, marginibus saepe purpuras-

centibus superne villosa-ciliatis corollas arcte amplectens. Corolla exterior neutra, 1-valvis, valvula corollam hermaphroditam amplectens, ea duplo major, calyce parum brevior, membranacea, firma, pellucida, ovato-lanceolata, mutica, nervis 3 quorum laterales obsoletiores distincta, glaberrima, nitida. Corolla interior hermaphrodita, 2-valvis: valvulae membranaceae, hyalinae, glaberrimae, nitidae; altera corollae neutri proxima oblonga, ciliato-lacinulata, concaviuscula; altera opposita aequilonga, tenerrima, filiformis. Stamina 3, antheris lineari-oblongis e rubro luteis. Germen ovatum, squamulis 2 adpressis cinctum, stylis 2, stigmatibus rubris. Semen desideratur.

Tales flores invenimus tam in speciminibus essequeboensibus, quam in alio, quod in caldariis horti botanici Herrenhusani floruit. Inter per multos flores pedicellatos sessilibus adstantes nullum masculum vel neutrum observavimus, ne in ultimis quidem ramulorum apicibus. Satis certum igitur judicamus, hanc stirpem omni jure inter Sacchara locum sibi vindicare.

2. SACCHARUM candatum. nob.

S. panicula contracta cylindracea attenuata, floribus geminis altero brevius pedicellato, pilis glumis triplo longioribus.

Gramen dactylon alopecuroides facie, panicula longissima, e spicis pluribus tomentosis constante. SLOAN. *Hist.* 1. p. 103.

ICON. SLOAN. *l. c. t. 70. f. 1.*

In arenosis continentis etc.

Perennis. Floret...

Descript. Culmi stricti, 4 vel 5-pedales, pennae gallinae crassitie, simplicissimi, teretes, geniculis remotis glabris interstincti, inferne laevissimi, paniculam versus striati, glabri, nitidi, foliosi. Folia pedem vel pedem cum dimidio longa, paniculae proximum 3 vel 5-pollicare, lineas 5 lata, lineari-lanceolata, acuminata, basin versus usque ad quartam latitudinis partem attenuata et carinata, caeterum plana, margine

serrato-aspera, nervo costali supra plana nitidoque, ante apicem evanescente percurta, striata, glabra, basi pilis rigidis strictis, albidisque barbata, e viridi rubescentia. Vaginae longissimae, superiores pedales et ultra, culmumque infra paniculam usque obvallantes, teretes, superiori parte compressae, foliorum superficie. Ligulae loco margo brevissimus, firmus, biauritus, glaber. Panicula pedalis et longior, stricta, cylindracea, apicem versus attenuata, sericeo-nitens. Rachis semiteres, superne angulato-sulcata, glabriuscula. Rami inferiores $1\frac{1}{2}$ - vel 2-polllicares, ramulo uno alterove aucti, reliqui sensim decrescentes, summi vix lineas 4 longi, simplices; omnes alterni, in anthesi patentes, ante et post anthesin erecti, teretes, compressiusculi, hispiduli. Flores gemini, alterni, mutici, pedicellati. Pedicelli teretes, parum incrassati et in vertice foveola, cui flos inserta, exsculpti, hispidi et pilis sericeis adspersi, inferior superiori duplo longiori basi adnatus. Calyx 2-glumis, subbiflorus: gluma exterior lanceolata, acuminata, 1-nervis; interior paululum brevior lineari-lanceolata, 2- vel 3-nervis; utraque membranacea, diaphana, apice pilis nonnullis, brevissimis terminata, externe pilis sericeis patentibus glumis triplo longioribus, basin versus densius collocatis vestita. Corolla exterior neutra, 1-valvis, corollam hermaphroditam subamplectens, oblonga, obtusiuscula, apice lacunculata, concaviuscula, glabra, nitida. Corolla interior hermaphrodita corolla hermaphrodita minor, bivalvis: valvulae tenerrimae, hyalinae; flori neutri proxima oblonga, obtusiuscula, ei opposita obsoleta, paulo brevior, lineari-filiformis. Stamina duo?. Filamenta brevissima. Antherae lineares. Styli longitudine calycis, basi connata. Stigmata tenuia, purpurea. Squamula hypogynae duae, lanceolatae, gemini adpressae. Semen minimum, oblongo-obovatum, apice puberulum, nitidum, pallide fuscum.

Observ. Flos hermaphroditus saepe ex toto deest, et tunc floris neutrius valvula genitalia amplectitur.

Nostrae stirpis valde affine et forsitan non diversum est Saccharum contractum HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 182: differre videtur ex adumbratione KUNTHII culmo sulcato-striato, vaginis sulcatis, spicula al-

tera sessili, pilis floribus tantum duplo longioribus. Non a re esse credidimus, fusiolem descriptionem nostrae plantae hic praebere, ut autopti de ambabus stirpibus disjudicent.

Observ. Genus Eriochrysis BEAUV. *Agrost.* p. 8. t. 4. f. 11. minime diversum est a genere Sacchari.

ANDROPOGON. SWARTZ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1566. JUSS. Gen. p. 30. LAM. Ill. t. 840.

Flores polygami. Hermaphrod.: Calyx 2-glumis, subbiflorus. Corolla interior hermaph. 2-valvis, valvula exteriori aristata, rarius mutica, interiori minuta (saepe deficiente); exterior neutra, 1-valvis. Masculi vel neutri pedicellati, hermaphrodito adstantes, incompleti. Sem. liberum, corolla tectum.

† Rachi spicata, articulata.

* *Flore hermaphrodito sessili, masculis vel neutris pedicellatis.*

1. ANDROPOGON bicornis.

A. spicis subgeminis in paniculam ramosissimam fastigiatam collatis, floribus hermaphroditis muticis basi pilis calyce triplo brevioribus cinctis, neutris pedicellis plumosis insidentibus.

A. bicorne, spicis conjugatis paniculatis, panicula bracteata fastigiato-corymbosa, floribus ternis muticis, intermedio hermaphrodito sessili, lateralibus neutris pedicellatis, rachi longissime ciliata. WILLD. *Sp. plant.* 4. p. 916.

ICON. BEAUV. *Agrost.* t. 22. f. 11. (Anatherum bicorne).

SLOAN. *Hist.* 1. t. 15.

In subarenosis continentis.

Perennis. Floret Januario.

En fusiorem hujus stirpis, saepe cum affinibus commutatae, descriptionem.

Descript. Culmi erecti, 4—6-pedales, inferne pennae anserinae fere crassitie, simplices, parum compressi, laeves, glaberrimi, nitidi. Nodi glabri. Folia longissima, lineas 3 lata, linearia, acuminata, plana, striata, supra glabra, nitida, subtus scabriuscula, margine serrulata. Vaginae internodiis breviores, glabrae, nitidae. Ligula margo membranaceus, glaber. Panicula terminalis, pedalis, rigida, fasciculis subcorymbosis, fastigiatis, ramosissimis composita, scopae formam exacte referens. Rachis universalis stricta, alternatim hinc convexa inde planiuscula, glabra. Rami erecti, stricti, ut ramuli copiosi compresso-angulati, glaberrimi, omnes e folio vaginante, lineari, acuminato progredientes. Spicae terminales, binae, rarius ternae, filiformes, pollicem circiter longae, tenerae. Flores hermaphroditi remotiusculi, distichi, alterni, sessiles. Calyx 2-glumis, subbiflorus. Glumae membranaceae, albae, apicem versus fuscescentes, basi pilis sericeis calyce triplo brevioribus cinctae: exterior interiorem marginibus inflexis amplexens, lineari-lanceolata, obtusiuscula, nervis 2 distantibus notata, inter eos planiuscula, setulis minutissimis albicantibus adspersa; interior vix paululum minor, lineari-lanceolata, acuminata, apicem versus carinata, nervo unico obsoleto notata, glabra. Corolla exterior neutra, 1-valvis, valvula longitudine calycis glumae minoris, oblongo-linearis, obtusiuscula, enervis. Corolla interior hermaphrodita, 2-valvis: valvulae membranaceae, hyalinae, nitidae; flori neutri opposita linearis, acutiuscula, nunc integra nunc apice bifida; altera triplo brevior, squamaeformis, tenerrima, haud rare absens. Filamenta brevissima. Antherae fuscae. Germen lineare, squamulis 2 hypogynis basi inclusum. Styli brevissimi. Stigmata nigro-rubra. Semen lineare, acuminatum, glabrum, fuscum. Flosculi neutri flori hermaphrodito in uno vel in utroque latere adstantes, minutissimi, in-

completi, pedicellati. Pedicelli gracillimi, flore hermaphrodito paulo longiores, teretes, pilis longis divergentibus sericeis vestiti. Valvulae 1 vel 2 squamaeformes, fere inconspicuae, saepissime ex toto deficientes.

Observat. Cel. SWARTZIUS *Observ. p. 382* villum ad calycis basin longitudine glumarum indicat, dum revera tertiam tantum partem longitudinis calycis attingit, si flores caute a lana ex pedicellis exeunte multo longiore separentur.

Observat. 1. Heteropogon BEAUV. *Agrostog. p. 134. t. 23. f. 8.* — Anatherum. BEAUV. *l. c. p. 128. t. 22. f. 10 et 11* — et Sorghum PERS. *Syn. p. 101.* a genere Andropogonis non diversa sunt.

Observat. 2. Cel. BROWNIUS genera Holcum et Andropogonem unice ob inflorescentiam, quae paniculata in illo et spicata in hoc, distinxit, Andropogonis species paniculis gaudentes ad Holcum referens. Ingenue fatemur, inflorescentiam ad genera fundanda et distinguenda minime aptam nobis videri. Permulta genera affatim docent, hanc rationem non sine vi naturae illata usurpari posse. Exempli loco sint genus Panici, species inflorescentia paniculata, racemosa et spicata — genera Poae, Cynosuri et Festucae, flores paniculatos et racemosos complectentia; nec non Dactylis cujus species et paniculatae et spicatae; Avena cum speciebus paniculatis, racemosis et spicatis etc. Magis igitur nobis arcideat, utrumque genus iterum conjungere et secundum inflorescentiam in divisiones dispescere. Tamen in sententia sumus, Andropogonis genus, si etiam flores hermaphroditi cum BROWNIO biflori habendi, tamen flosculis neutris extra calycem iis adstantibus pedicellatis facile ab Holco distinguendum esse.

LEPTOSTACHYS. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Spiculae unilaterales. Cal. 2-glumis, multiflorus, glumis inaequalibus muticis. Cor. 2-valvis: valvula exteriori sub apice bidentata, aristata, rarissime mutica; interiori bicarinata. Sem. liberum, nudum.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi, in spiculis unilateralibus alternis distiche collocati.

Cal. 2-glumis, multiflorus. Glumae membranaceae, lanceolatae, acuminatae, rarius obtusiusculae, carinatae, dorso scabriusculae, muticae, interior exteriore longior.

Cor. 2-valvis. Valvulae membranaceae, inaequales: exterior ovato-oblonga vel oblonga, obtusiuscula, carinata, margine subciliata, bidentata, arista brevi recta infra apicem terminata, rarissime mutica; interior brevior, ovata vel oblonga, acuminata, rarius obtusa, bicarinata, inter carinas dorso concaviuscula, mutica.

Stam. Filamenta 3 capillaria. Antherae oblongae, utrinque bifidae.

Pist. Ovarium ovato-oblongum. Styli 2. Stigmata plumosa.

Semen oblongum, acutiusculum, liberum, nudum.

HABITUS.

Poas generis fere. Culmi caespitosi, erecti, ramosi vel simplices. Folia linearia, acuminata. Inflorescentia paniculata. Rami paniculae, sive spicae elongatae, filiformes, simplicissimae, saepe nutantes. Spiculae subsessiles unilaterales, alternae, compressae, multiflorae.

AFFINITAS.

Genera nostro affinia sunt Chloris, Eleusine et Poa; sed differunt: Chloris calyce 2-flori flosculis polygamis, eorumque structura; — Eleusine seminibus membrana utriculari inclusis; — Poa, quae habita magis quam essentialiter ad Leptostachyn accedit, floribus sparsis, valvulis corollinis ovatis, muticis.

ETYMOLOGIA.

A λεπτός gracilis, et σταχys spica; quoniam omnes hucusque detectae species paniculae spicis elongatis et toto habitu gracillimo insignes conspiciuntur.

Observ. In Leptost. virgata arista brevissima est: in L. filiformi nulla, et valvula corollina superior obtusa.

1. LEPTOSTACHYS virgata. nob.

L. spicis numerosis paniculatis nutantibus, spiculis sub-6-floris, flosculis inferioribus brevissime aristatis; culmo basi decumbente, vaginis nudis.

Eleusine virgata, spicis alternis gracilibus, spiculis purpurascensibus subsexfloris aristatis: flosculis ultimis submuticis. PERS. *Syn.* 1. p. 87.

Cynosurus virgatus. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 417.

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 70. f. 2.

In locis humidis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret Septembri.

Observ. Genus Leptostachys stirpes habitu et structura optime inter se convenientes consocians, tam naturaliter quam artificialiter bene conditum est. Ab Eleusine non minus quam a Chloride essentialiter differt, et nulli alio revera affine. Species hucusque cognitae sunt.

Leptostachys gracilis. Chloris gracilis. HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 168.

Leptostachys filiformis. Eleusine filiformis. PERS. *Syn.* 1. p. 87.

Leptostachys domingensis. Eleusine doming. PERS. *l. c.*

Leptostachys digitaria. Chloris digitaria. HUMB. et KUNTH. *l. c.*

Leptostachys virgata. Chloris poaeformis. HUMB. et KUNTH. *l. c.* p. 169. Cynosurus virgatus.

LINN. *Amoen.* 5. p. 393.

Leptostachys? dubia. Chloris? dubia. HUMB. et KUNTH. *l. c.* p. 169.

ELEUSINE. GAERTN.

GAERTN. *Fruct.* 1. p. 7. t. 1.

Flores unilaterales. Cal. 2-glumis, multiflorus. Cor. 2-valvis, mutica. Sem. membrana utriculari inclusum.

I. ELEUSINE indica.

E. spicis digitatis strictis, spiculis subsexfloris; culmo declinato ramoso, geniculis inferioribus radican-
tibus, vaginis margine pilosis.

E. indica, glabra, vaginis compressis, collo pilosis: spicis digitatis, strictis, longo-linearibus, rectis: spiculis subsexfloris; floribus lanceolatis.
MICH. *Amer.* 1. p. 64. PERS. *Syn.* 1. p. 87.

Cynosurus indicus. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 417.

ICON. BÜRRL. *Zeyl.* t. 47. f. 1.

RUMPH. *Amboin.* 6. t. 4. f. 2.

Ad vias in plantatione Hamburg.

Annua. Floret Junio et Julio.

POA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 114. JUSS. *Gen.* p. 32. LAM. *Ill.* t. 45.

Cal. 2-valvis, multiflorus. Cor. 2-valvis, valvulis subovatis, acutiusculis, muticis. Sem. liberum, corolla tectum.

I. POA ciliaris.

P. panicula glomerata subspicata, spiculis ovato-oblongis subnovemfloris, flosculis liberis acutis, valvula interiore corollarum margine ciliatis; culmis basi ramosis adscendentibus.

P. ciliaris, panicula contracta, glumarum valvulis interioribus piloso-ciliatis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 402.

ICON. JACQ. *Icon. rar. t. 304.*

PLUCK. *Phytogr. t. 190. f. 5.*

Passim in arena plantationis *Altona.*

Annua. Floret Aprili et Septembre.

Observ. Genera *Eragrostis* BEAUV. *Agrost. p. 70. t. 14. f. 11.* et *Megastachyae* BEAUV. *ibi. p. 74. t. 15. f. 5.* a *Poae* genere non diversa sunt.

IV. TETRANDRIA.

I. MONOGYNIA.

RHOPALA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 144. JUSS. *Gen.* p. 79. GAERTN. *Fruct. Suppl.* 1.
p. 212. t. 217.

Cal. o. Petala 4 angusta, basi cohaerentia. Stam. petalis in superiori parte inserta. Pericarpium 1-loculare. Semen alatum.

† Foliis simplicibus.

1. RHOPALA? nitida.

R. foliis ovalibus acuminatis reticulato-venosis; racemis axillaribus.

Rupala nitida, foliis ovali-lanceolatis, vix acuminatis, nitidis; spicis axillaribus gracilibus; stylo capillari. RUDG. *Guj.* 1. p. 26.

ICON. RUDG. *l. c.* t. 39. (*optima.*)

In sylvis continentis.

Arbuscula. Floret . . .

Descriptioni a Cel. RUDGEO *l. c.* datae addimus: Folia ab auctore laud. ovali-lanceolata dicta, ovalia. breve acuminata, basi leviter in petiolum attenuata sunt, maxima pollices 6—7 longa, 3 lata, exsiccata colore badio tincta. Petioli circiter pollicares. Inflorescentia minime spica est, ut vult Cel. RUDGEUS, sed racemus simplex, elongatus. Antherae non anguste lanceolatae, sed oblongae, acutae. Ob fructus adhuc ignotos genus incertum, tamen habitus magis Rhopalae quam Embotryi.

2. RHOPALA montana.

R. foliis ovalibus utrinque acuminatis carinatis simpliciter venosis; racemis axillaribus.

Rupala montana, foliis ovatis petiolatis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 536.

ICON. GAERTN. *Fruct. Suppl.* 1. t. 217?

AUBL. *Guj.* 1. t. 32.

In sylvis continentis.

Arbuscula? Floret . . .

Folia ovalia, acuminata, in petiolum sensim attenuata, pollices 3—4 longa, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lata, valde carinata, fere conduplicata, simpliciter venosa, non reticulata ut in specie antecedente et sequente, supra lucida, quasi vernice abducta, subtus opaca, exsiccata rufescentia. Racemi fructiferi foliorum longitudine vel longiores, puberuli. Pericarpia lineas 12—14 longa, 6 lata; basi, quae a Cel. GAERTNERO *l. c.* pro pedunculo habita, attenuata et incurva, pedicello trilineari insidentia.

Observ. Valde affinis est huic speciei R. complicata. HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 2. fasc. 1. delineata, cujus descriptio hucusque non evulgata; differt, ut videtur, solummodo basi foliorum latiore.

†† Foliis pinnatis.

3. RHOPALA? pinnata.

R. foliis subtrijugis, foliolis ovatis; racemis tomentosissubterminalibus.

Rupala pinnata, foliis pinnatis: foliolis petiolatis, tri- vel quadrijugis, ovalibus; spicis longissimis; petiolis pube densa ferrugineis. RUDG. *Pl. Guj.* 1. p. 25.

ICON. RUDG. *l. c.* t. 38. (*optima.*)

In sylvis continentis.

Arbuscula? Floret . . .

Descriptioni Cel. RUDG. *l. c. p. 26* adjungimus. Folia alterna; foliola nunc acuta, nunc obtusa, pollices 3 longa, 2 lata, reticulato-venosa, non longiuscule (RUDG.) sed breve petiolata. Racemi — nec spicae — ex ultimis axillis et igitur subterminales. Petala linearia, apice spatulata. Genus ut in specie prima incertum.

BORRERIA. nob.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Cal. 2 vel 4 fidus, persistens. Cor. infundibuliformis. Caps. bilocularis, bipartibilis. Dissepimenta incompleta, e valvularum marginibus inflexis. Sem. solitaria, basi interna affixa.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Involucrum polyphyllum: foliola per paria opposita, exteriora basi membrana margine setosa cauleque perforata conjuncta; interiora simplicia basi setosa; flosculis proxima sensim minora, bifida, tandem in setas subulatas desinentia.

Perianthium proprium tubulosum, persistens limbo, 2 vel 4-partito, laciniis subulatis, interjectis saepe setis totidem brevissimis.

Cor. monopetala, infundibuliformis, supera. Limbus 4-partitus, laciniis aequalibus patentibus vel recurvatis.

Stam. Filamenta 4, incisuris limbi corollae vel paulo infra eas inserta. Antherae incumbentes, oblongo-ellipticae vel ellipticae, posticae bilobae.

Pist. Ovarium oblongum, inferum, calyci adnatum. Stylus filiformis. Stigma obtusum, emarginatum.

Pericarp. Capsula infera, calycis laciniis aristata, bilocularis, bipartibilis, dissepimentis incompletis, e valvularum marginibus inflexis ortis.

Sem. In singulo loculamento solitaria, oblonga, ventre sulco longitudinali inscripta, basi interna loculamentis affixa.

HABITUS.

Frutices, suffrutices l. herbae. Caules erecti vel adscendentes, ramosi. Rami oppositi. Folia opposita, in quorum sinu saepe plura minora, exteriora stipulis membranaceis setosis connata. Flores involucrati, verticillati, verticillato-capitati et capitati, saepe odoratissimi. Fructus capsula disperma, calycis laciniis persistentibus coronata.

AFFINITAS.

In generibus valde inter se confinibus *Borreriae*, *Diodiae* et *Spermacoces* neque corollae, nec genitalium indoles ullius momenti est. Nunc corollae — semper infundibuliformis — limbus erectus, nunc patens, nunc reflexus; lacinae jam ovatae, jam lanceolatae, obtusae vel acuminatae. Filamenta aut in limbi divisuris, aut infra divisuras, aut tandem alternatim affixa; modo corollo longiora, modo breviora. Stigma nunc bipartitum, setaceum, nunc bilobum obtusum, nunc emarginatum. Nec minus levis calycis conditio — magni momenti in reliquis *Rubiaceis* — in generibus hisce censenda: aliis bifidus est, aliis 4-fidus, laciniis duabus minoribus deciduis, aliis tandem 4-fidus, laciniis omnibus persistentibus, setisque interjectis totidem. Sola fructus fabrica et seminum insertionem pro vero discrimine et certo in generibus illis rite discernendis uti possumus. Omnibus capsula bilocularis est, loculis monospermis. In *Borreria* et *Diodia* capsula bipartibilis: illius membranaceo-chartacea, rarius chartacea, dissepimentum verum nullum, sed margines valvularum inflexi, semper sub maturitatem longitudinaliter hiantes, loculamenta aperta constituunt; semina loculamentis basi interna cicatriculo affixa: hujus crustaceo-coriacea vel crustacea, loculamenta dissepimentis manifestis, firmis nec dehiscentibus clausa, quare fructus haud inepte e capsulis binis conjunctis formatus dicitur, et *Umbellatarum* fructibus proxime affinis est; semina in ventre mediis dissepimentis funiculo umbilicali affixa. — Ab utroque genere *Spermacoce* optime recedit capsula non bipartibili, valvula altera apice dehiscente, altera dissepimento remanente, e lamellis duabus arcte invicem incumbentibus constructo, clausa. Tandem dissepimentum circumcirca solgitur et semen loculamento nunc aperto effluit. Semina prope dissepimentum

menti basin affixa. Tali fructus diversa fabrica nixi characteres generibus laudatis statuimus, nempe:

BORRERIA. (*vid. supra.*)

DIODIA. Cal. 2 vel 4-fidus, persistens. Cor. infundibuliformis. Caps. 2-locularis, bipartibilis, loculamentis clausis. Sem. solitaria, ventre mediis dissepimentis affixa.

SPERMACOCE. Cal. 4-fidus, persistens. Cor. infundibuliformis. Caps. 2-locularis, non bipartibilis: loculamento altero apice dehiscente, altero clauso. Semina solitaria.

ETYMOLOGIA.

Hoc genus in memoriam Clarissimi WILHELMI BORRER, Angli, Lichenologi summi, viri in re botanica peritissimi, qui una cum Cel. TURNER Lichenographiae britannicae edendae operam impendit, nec non per plures jam annos in horto botanico proprio Salicum polymorphas stirpes coluit et observavit, nominavimus: quia Lichenum genus ab ACHARIO illius nomine salutatum cum multis aliis hujus Lichenum dispositionis generibus minime philosophiae botanicae rationi respondentibus servari non potest.

1. BORRERIA suaveolens. nob.

B. Caule fruticoso erecto, foliis linearibus acuminatis glabris, floribus globoso-capitatis verticillatisque, calycibus 4-fidis.

Spermacoce fruticulosa atque ramosa, foliis linearibus, floribus constipatis ad alas. BROWN. *Jam. p. 141. n. 4.*

* ICON. *nostra tab. I.*

In arenosis continentis circa *Arowabischkreck.*

Frutex. Floret Januario.

Descript. Frutex erectus, 2—3-pedalis, ramosissimus, cortice glabro, rubro-brunneo, nitido vestitus, odorem rosaceum fundens. Rami oppositi, erecto-patentes, teretes, juniores obsolete tetragoni. Folia opposita, sinu 4—6 sensim breviora foventia, ramos per paria alternantia

verticillatim ambientia, firma, linearia, in apicem brevem subpungentem acuminata, integerrima, carinata, glabra, opaca. Stipularum loco margo foliorum fasciculos conjungens subcartilagineus, setis rigidis subulatis rufescentibus munitus. Flores in fasciculos aggregati, brevissime pedicellati: fasciculi in capitula involucreta terminalia et infra-terminalia verticillata collecti. Involucrum tam singulos florum fasciculos quam capitulum commune cingens, polyphyllum: foliola foliis rameis simillima, sed parum latiora, capitulum vix superantia, exteriora basi in membranam desinentia, foliola per paria opposita connectentem, subcoriaceam, rugoso-venosam, setisque marginalibus obsessam; interiora simplicia; basi membranacea et setigera; infima sensim minora, bi-trifida, tandem in setas calyces ambientes extenuata, referentia. Calyx tubulosus, fauce clausa, foramine stylum recipiente, margine brevissimo 2 — 4 lobo cincto pertusa, laciniis subulatis, margine submembranaceis, duabus oppositis basi paululum latioribus, utroque latere seta brevissima auctis. Corolla tenera, alba, calycem paululum superans, tubo cylindrico, fauce dilatata, limbo 4-partito, laciniis lanceolatis, acuminatis, recurvatis, nervo intermedio et duobus marginalibus tenuissimis, in tubum decurrentibus notatis. Stamina corollam paulo superantia. Antherae biloculares, oblongo-ellipticae, albae, loculamentis sulco longitudinali se aperientibus. Stylus filiformis, filamentis paulo longior. Stigma emarginatum. Capsula ovali-oblonga, e calycis tubo orta, calycisque laciniis aristata, bilocularis, bivalvis. Valvulae oblongae, marginibus inflexae, inferiori parte connatae, apice bifidae et tenuissime hispidulae. Semina duo solitaria, oblonga, sursum paululum angustiora, dorso convexiuscula, in ventre planiuscula sulco longitudinali inscripta, brunnea.

Observ. Diodiae et Spermacoces species, quarum plurimae quoad fructus attinet, haud satis disquisitae, ulterius examinandae et inter genera Spermacocen, Diodiam et Borreriam distribuendae sunt. Ad Spermacocen pertinent ex nostra analysi *S. tenuior*, *latifolia* et *hispidula*: ad Diodiam, *Diodia virginica*, scandens et sarmentosa. Ad Borreriam praeter speciem descriptam:

1. BORRERIA verticillata, caule suffruticoso, foliis oblongo linearibus obtusiusculis; floribus globoso-capitatis verticillatisque remotis, calycibus bifidis.

Spermacoce verticillata. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 570. (exclusis synonymis BROWNII, quod ad *B. suaveolentem* pertinet, et SLOAN. *Hist.* 1. p. 170, quod sine dubio ad plantam tetradynamicam spectat.)

2. BORRERIA stricta, caule herbaceo stricto, foliis lanceolatis basi attenuatis; floribus globoso-capitatis verticillatisque remotis, calyce bifido.

ICON capsulae in *tab. I. nostra*, f. 1 et 2 ad dextram.

Haec species herbario nostro inest: forte *Spermacoce stricta*. LINN.

3. BORRERIA parviflora, caule herbaceo diffuso, ramis subalato-quadrangulis, foliis oblongis acutis, floribus verticillatis, calycibus quadrifidis.

ICON in *tabula I. nostra*, f. 1. 2 et 3 ad sinistram.

Hab. in *St. Domingo* et herbario Clariss. MERTENSII inest.

Sine dubio plurae adhuc *Spermacoces* forsitan et *Diodiae* species ad *Borreriam* pertinent. *Spermacoce linifolia* VAHL. verosimiliter *Borreria* est; item plures ut videtur ex *Spermacoces* speciebus a RUITZ. et PAVON. in *Flor. Peruv.* descriptis et delineatis, quantum e caractere generico iis reformato conicere licet. Ob neglectam capsularum descriptionem acuratiorem tamen nil certi dici potest.

LASIOSTOMA. SCHREB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 180. LAM. *Illust.* t. 81.

Cal. 4-partitus. Cor. infundibuliformis, fauce villosa.
Capsula 1—2-sperma.

1. LASIOSTOMA divaricata nob.

L. ramis divaricatis, foliis obovato-oblongis basi attenuatis triplinerviis; floribus racemoso-corymbosis pedicellatis.

In arenosis continentis.

Frutex. Floret ...

Descript. Frutex ramosus. Rami oppositi, horizontales, teretes, una cum petiolis pedicellisque tomento sordide viridi-luteo vestiti; interne fistulosi et medulla virescenti farcti. Folia opposita, patentia vel divergentia, subcoriacea, obovato-oblonga, basi in petiolum attenuata, apice obtusa et mucrone parvo terminata, rarius leviter emarginata, saepe subacuta, maxima pollices 2 fere longa, lineas 8 — 9 lata, integerrima, triplinervia, nervis duobus obsolete submarginalibus e basi progredientibus, inter nervos reticulato-venoso, utrinque nitida, supra glabra, subtus imprimis ad nervos pubescentia, flavo-viridia. Petioli lineas 2 — 3 longi, semiteretes. Cirrhi solitarii, axillares, bipollicares, sursum crassiores et spiraliter involuti. Corymbi racemosi, per totam ramulorum longitudinem ex axillis foliorum exeuntes, 5 — 7 flori. Flores oppositi, pedicellati. Pedicelli divergentes, florum fere longitudine, angulati, basi bractea lineari-oblonga, obtusa, tomentosa suffulti. Calyx 4-partitus, laciniis oblongis, acuminatis, ciliatis, glabris, basi bracteis oppositis adpressis auctus. Corolla caduca. Ovarium subrotundum. Stylus filiformis, corolla longior. Stigma obtusum. Capsula subglobosa, glabra, bilocularis, disperma.

Secundum descriptionem et iconem AUBLETII *Lasiostomae cirrhosae*. *Guj.* 1. p. 93. t. 36 nostram stirpem pro nova haberi coacti sumus; nam differt, ramis exacte angulo recto exeuntibus, nec erecto-patentibus, foliis angustioribus, basi semper attenuatis, ut plurimum obtusis evidentius triplinerviis (trinervia quidem tam AUBLETIO quam WILDENOWIUS folia *Lasiostomae cirrhosae* vocant, sed in icone nervi non omnino e basi exeuntes in conspectum veniunt.) floribus longius pedicellatis, nec subsessilibus; capsulis tandem bilocularibus.

Observ. Qua re motus Cel. SCHREBERUS et illum sequentes WILDENOWIUS et PERSOONIUS calycem *L. cirrhosae* 5-partitum dicunt, plane nescimus, cum AUBLETIO, cui uni stirps observata, 4-partitus est. — Corolla in omnibus nostrae stirpis floribus nobis examinatis

deerat. Stylus peracta foecundatione saepe ad duplicem longitudinis mensuram excrescit. Capsulam semper bilocularem invenimus, sed in maturam tantum examinare nobis licuit; an per maturitatem forte unilocularis evadat?

TONTANIA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1723. JUSS. Gen. p. 199. LAM. Illust. t. 64.

Cal. 4-fidus, superus. Corollae limbo 4-partito. Margo 4-lobus stylum cingens. Caps. sulcata 2-ocularis, polysperma.

I. TANTONIA repens.

T. repens. PERSON. Syn. 1. p. 134.

Bellardia repens. WILLD. Sp. plant. 1. p. 626.

ICON. LAM. *Illust. t. 64* } utraque mala.
AUBL. *Guj. 1. t. 42* }

In sylvis umbrosis arenosis plantationis *Altona*.

Perennis. Floret ab Aprili usque ad Junium.

Descript. Caulis repens, articulatus, ad genicula incrassatus et radicans, pilosus. Rami juniores quadranguli, subalato-marginati. Stipulae interfoliaceae, oppositae, subulatae, deciduae. Pedunculi tetragoni, saepissime 4-flori. Flores subsessiles, singuli bractea subalata suffulti. Calyx persistens, subcampanulatus, 4-fidus, laciniis lanceolatis, obtusiusculis, pilosis. Corolla infundibuliformis, coerulescens, tubo cylindrico, fauce subinflata, limbo 4-partito, laciniis lanceolato-oblongis, acutis. Filamenta brevissima, fauci ad laciniarum incisuras inserta. Antherae exsertae, filamentis duplo fere longiores, lineares. Ovarium ovatum, inferum. Margo brevis subquadrilobus styli basin cingens. Stylus longitudine staminum. Stigma bipartitum, laciniis crassiusculis divergenti-patentibus. Capsula? carnosae, diaphanae, subrotundo-ovatae, calycis laciniis coronatae, utrinque sulco notatae, glabrae, coeruleae, bilocularis, polysperma. Semina minuta, lenticularia, croceo-ochracea.

Observ. 1. E florum fructuumque descriptione satis patet, quae falsa icon AUBLETII sit, calycis lacinias nimis breves acuminatas, filamenta duplo longiora quam sunt, antheras subrotundas filamentis multo minores, stylum apice bifidum, stigmataque duo setacea sistens. Icon LAMARKII copia AUBLETII iconis est, et iisdem vitiis corrupta.)

Observ. 2. Valde affine hoc genus Coccocypsilo est, et verosimiliter ab eo non diversum. Affinitate proximum Coccocypsilum Condalia PERS. (Condalia repens. *Fl. Peruv.* 1. p. 54. t. 84) censendum.

COUTOUBEA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1726. JUSS. Gen. p. 141. GAERTN. Fruct. Suppl. 1. p. III. t. 198.

Cal. 4-fidus. Cor. 1-petala, limbo 4-partito. Squamae in fauce 4, quibus insident filamenta. Caps. 2-valvis, 1-locularis.

1. COUTOUBEA racemosa. nob.

C. caule fruticoso, foliis oppositis lanceolatis utrinque acuminatis; floribus racemosis oppositis divergentibus.

In arena inundatione exaestuata plantationis *Sophienburg*.

Frutex. Floret fere perpetue.

Descript. Fruticulus 2—3 vel 5 pedalis, glaberrimus, ramosus, per foliorum lapsum inferne annulatus, rugulosus, viridis; ligno albo. Rami oppositi, patentes, teretes, apice floriferi. Folia pingua, opposita, sessilia, decussata, lanceolata, acuminata, basi plus minusve attenuata et semiamplexicaulia, pollices 4—6 longa, lineas 6—8 lata, integerrima, subundulata, obsolete venosa. Racemi longissimi, stricti. Flores brevissime pedicellati, remotiusculi, decussatim oppositi, divergentes, inferiores deinde divergenti-divaricati, basi bracteis tribus lanceolatis — quarum infima reliquis duplo longior et patens, laterales oppositae calyci adpressae — suffulti. Calyx inferus, persistens, usque infra medium

4-fidus, laciniis oblongis, acuminatis, striatis, margine scariosis et subpellucidis. Corolla persistens, alba, fauce dilute rufescens, tubo calycis longitudine, campanulato-cylindraco, elevato-striato; limbo plano, 4-partito, laciniis lanceolatis. Filamenta subulata, limbi laciniis fere duplo breviora, squamis 4 tubo infra faucem adnatis, obtusis, subconcavis, apice inserta, inque tubo linea usque ad basin percurrente notata. Antherae incumbentes, sagittatae, apice lobisque baseos obtusis, biloculares, superne in utroque loculamento lineis duabus elevatis marginatae, subtus linea media exaratae. Ovarium ovatum, obsolete tetragonum. Stylus staminibus longior, subulatus. Stigma bipartitum, lobis patentibus ovatis, compressiusculis, interne pubescentibus. Capsula calyce corollaque vestita, oblongo-ovata, obsolete quadrigona, bisulcata, styli basi persistente terminata, bivalvis, unilocularis, valvulis membranaceo-coriaceis, concavis. Semina marginibus valvularum inflexis, placentae vices gerentibus, adnata, minuta, subrotunda, nitida.

2. COUTOUBEA spicata.

C. caule herbaceo, foliis oppositis oblongis breviter acuminatis, spicis terminalibus densifloris, floribus subquaternis erecto-patentibus.

Coutoubea spicata, foliis binis, spicae floribus subsparis. PERS.
Syn. 1. p. 157.

Exacum spicatum. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 639.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 27. (*pessuma*).

In locis arenosis.

Annua. Floret cum antecedente.

Descript. Caulis simplex, inferne teres, superne absolute quadrangulus, glaber. Folia opposita, decussata, oblonga, breviter acuminata, semiamplexicaulia, pollices 2—2½ longa, lineas 8—10 lata, supra nitida. Spica terminalis, 5—5 pollicaris. Flores sessiles, quaterni, approximati, erecto-patentes, post anthesin patentes, bracteis 5 lanceolatis, subu-

lato-acuminatis suffulti. Calycis lacinae oblongo-lanceolatae, in apicem cuspidatum attenuatae. Corolla et genitalia speciei antecedentis, tamen tubus minus perspicue lineatus, lacinae parum angustiores et stamina longiora. Ovarium ovato-oblongum, attenuatum et stylus leviter curvatus. Capsulam non vidimus, sed ex ovarii figuram jam conficere licet, longiorem et magis attenuatam quam in *C. racemosa* esse.

Observ. Haec species ex plantis est, quas *AUBLETIUS* non minus insufficienter descripsit, quam false pinxit. In diagnosi folia ovato-oblonga vocavit, in descriptione gallica oblonga, et in adumbratione latina lanceolata. Forsitan haec diversa indicia in commixtione ambarum nobis descriptarum specierum continentur, quam opinionem icon etiam confirmat, neque unam neque alteram speciem recte exhibens. Florum analysis ex toto falsa est. — *Cel. VANLIVS* stirpem nec minus insufficienter descripsit, bracteam unam ad calycis basin loco trium, quas jam *AUBLETIUS* recte exposuit, indicens; filamenta versus basin dilatata vocans, cum squamis propriis inserta sint.

PLANTAGO. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 186. JUSS. Gen. p. 90. GAERT. Fruct. L. p. 236. t. 51.

Cal. 4-partitus. Cor. 4-fida, limbo reflexa. Stamina longissima. Caps. bilocularis, circumscissa.

† Acaules.

1. PLANTAGO bicarinata. nob.

P. foliis linearibus subcanaliculatis integerrimis pubescenti-hirtis; spicis cylindricis, bracteis obovatis calyce brevioribus.

In arenosis.

Frutex. Floret...

Descript. Planta suffruticosa, pilis brevibus patentibus incanis pubescenti-lirta. Radix crassa, horizontalis, vel oblique descendens, superiori parte squamis imbricatis scariosis obvallata et inter squamas lana brunnescenti-cana vestita. Folia in caespites congesta, adscendentia, exteriora procumbentia, crassiuscula, linearia, breviter acuminata, basi dilatata, membranacea et invicem se amplectentia, pollices 2—3 longa, lineas 2—3 lata, integerrima, concava, trinervia. Scapi adscendentes, fructiferi 5-pollicares, teretes, laeves. Spicae 2-pollicares, penna galinacea paulo crassiores, cylindræae, obtusae, compactae. Bracteae calyce duplo breviores, obovatae, acutiusculæ, concavae, uti calyx et corollae tubus hispidulae. Calyx profunde 4-partitus: laciniae omnes extorsum spectantes; intermediae duae elliptico-oblongae, obtusae, albo-marginatae; laterales paulo longiores, acutiusculæ, concavae, carina membranacea auctae, marginibus exterioribus membranaceis corollam dorso amplectentes. Corolla calyce paulo longior, tubo superne angustiore, fauce contracta, limbi laciniis scariosis reflexis pellucidis, ovatis, acutis, glaberrimis. Stylus filiformis. Stigma pubescens. Capsula conica, styli basi indurata terminata, inferior pars membranacea subpellucida, superior facillime secedens, firmior, punctata margineque crassiusculo cincta. Semina 2 vel per abortum 1, oblonga, obtusa, compressiuscula, rufescentia.

Habitu nostra species *P. patagonulae* proxima, quae bracteis flore longioribus lanceolato-linearibus, seminibusque acuminatis facile dignoscatur.

SCOPARIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. II. 187. JUSS. Gen. p. 118. GAERTN. Fruct. I. p. 251. t. 53.

Cal. 4-partitus. Cor. 4-partita, rotata. Caps. 2-valvis, 2-ocularis, polysperma.

1. SCOPARIA dulcis.

S. foliis ternis, floribus pedunculatis. WILLD. *Sp. pl. I. p. 652.*
RODSCH. *Observ. p. 84.*

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 108. f. 2.

PLUCK. *Alm.* t. 215. f. 1.

In arenosis et siccis.

Annua. Floret Decembri seqq.

Observ. Minime recte auctores plurimi etiam recentiores v. c. PERSOONIUS in *Synopside*, AITON. in *Hort. Kew. ed. 2.*, PURSCH. *Fl. Amer.* etc. capsulam unilocularem dicunt. Sed etiam minime recte CLAR. GAERTNERUS fabricam capsulae internam descripsit et delineavit, dissepimentum proprium suturae valvularum affixum sistens. Capsula bilocularis, sed dissepimentum proprium nullum adest: margines valvularum paululum inflexi sunt, et iis adnatum seminum placenta disciformis, capsulam in duo loculamenta dividens. Per maturitatem placenta circumcirca a valvularum marginibus se aperientibus solvitur, et cum seminibus in utroque latere ei adglutinatis defluit.

Incolae planta ob vigiliis ab hora 11 usque 12 meridie ad tempus diei constituendum utuntur. Etiam ad scapas in usu est.

CISSUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 192. JUSS. *Gen.* p. 267. LAM. *Illust.* t. 84.

Cal. 4 vel 5-dentatus. Cor. 4 vel 5-petala. Bacca 1 vel 2-sperma, calyce cincta.

1. CISSUS sicyoides.

C. ramulis teretibus, foliis subcordato-ovatis setaceo-serratis nudis.

C. sicyoides foliis subcordatis nudis, setaceo-serratis, ramulis teretibus. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 656.

ICON. JACQ. *Amer.* t. 15. ed. pict. t. 20.

BROWN. *Jam.* t. 4. f. 1 et 2.

In sylvaticis et nemoribus.

Perennis. Floret ...

II. DIGYNIA.

ILEX. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 232. JUSS. Gen. p. 379. GAERTN. Fruct. 2.

Cal. 4-dentatus. Cor. rotata. Stylus o. Bacca 4-sperma.

1. ILEX ovalifolia. nob.

I. foliis ovalibus serrato-crenatis; floribus racemosis axillaribus terminalibusque, pedicellis corymbosis.

In siccis continentis.

Frutex. Floret.

Descript. Frutex ramosus. Rami crassi, teretes, cortice fusco, glabro, nitido vestiti. Ramuli erecti, angulosi, fusco-sanguinei. Folia sparsa, approximata, patentia, coriacea, ovalia, uncias 3 longa, $1\frac{1}{2}$ lata, margine subrevoluta, grosse serrato-crenata, elevato-venosa, glabra, albescenti-viridia. Petioli brevissimi, compresso-plani, glabri, ferruginei. Racemi copiosi laterales vel terminales, erecto-patentes vel patentes, multiflori. Rachis uncialis ut rami angulosa et tenuissime pubescens; rami sparsi, brevissimi, approximati, patentes, basi bractea oblonga, obtusa, pubescente suffulti. Flores in apicibus ramulorum 3 vel 5 corymbosi, pedicellis brevissimis, oppositis, bractea basi munitis insidentes, viride-flavi. Calyx minimus, ad basin usque 4-partitus, laciniis subrotundis. Corolla calyce duplo major, laciniis subrotundis, concavis. Filamenta corollae incisuris inserta, brevissima. Antherae erectae, oblongae, luteae. Ovarium subrotundum, nigrescens. Stigmata 4, obtusa.

Foliis coriaceis duplo triplove majoribus, inflorescentia et floribus ab *Ilice vomitoria* satis diversa est haec species.

V. PENTANDRIA.

I. MONOGYNIA.

MESSERSCHMIDIA. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 252. JUSS. Gen. p. 129. GAERTN. Fruct. 2.
p. 129. t. 109.*

Cal. 5-partitus. Cor. infundibuliformis, fauce nuda. Bacca suberosa dipyrena, ossiculis dispermis.

1. MESSERSCHMIDIA incana. nob.

M. villosa, caule herbaceo, foliis sessilibus linearibus margine revolutis.

Tournefortia sessilifolia? POIR. *Encyc. meth.* 7. p. 360.

Locis siccis.

Perennis. Floret . . .

Descript. Caulis erectus, spithameus, subflexuosus, angulatus, incanovillosus, basi sublignosa denudatus. Rami alterni, patentes, inferiores patenti-divergentes, simplices. Folia sparsa, inferne remotiuscula, versus ramorum apices conferta, linearia, obtusiuscula, lineas 8 longa, lineam lata, integerrima, margine revoluta, subtus costa intermedia prominula notata, utrinque imprimis tamen pagina inferiore pilis mollibus, albis vestita. Corymbi racemosi terminales, pauciflori, ramulis bifidis. Flores terminales et infraterminales, subsessiles. Calyx 5-partitus, laciniis erectis, linearibus, obtusiusculis, superficie foliorum. Corolla infundibuliformis, colorata? externe pilis diffusis adspersa: tubo cylindrico, calyce fere duplo longiore, basi paululum dilatato;

limbo patente, 5-fido, plicato; fauce pervia. Filamenta vix ulla. Antherae in inferiori tubi parte subsessiles, teretiusculae, obtusae, basi bilobae. Ovarium subrotundo-ovatum, glabrum. Stylus cylindricus crassus. Stigma capitato-conicum, basi margine tumido cinctum. Bacca exsucca, aegre bipartibilis, oblongo-subrotunda, obsolete angulosa, leviter tomentosa, utrinque umbilicata, umbilico superiori medio papillula notato. Cortex tenuis rugosa. Ossicula hinc convexa inde planiuscula, bilocularia, rudimento loculamenti tertii intermedii compressi. Semina solitaria, oblonga.

Differt a *M. ARGUZIA*, cujus varietas vix jure habenda, praeter insignem foliorum formam, eorumque marginem revolutum, superficie omnium partium molli, nec scabra; calycibus paulo majoribus; corollis brevioribus et, ut videtur, coloratis. Satis affine autem videtur *Tournefortia sessilifolia* POIR. l. c. Tamen quantum e descriptione manca conicere licet, forte superficie magis hirsuta, foliis latioribus pilisque pedunculorum calycumque glanduliferis? differt.

Communicavit nobiscum hanc stirpem Cel. Dr. LEHMANN, Primularum nec non Asperifoliarum monographiis de re botanica optime meritis.

Observ. Cel. R. BROWNIUS genera *Tournefortiam* et *Messerschmidiam* sub caractere *Messerschmidiae* et nomine *Tournefortiae* ad unum genus reduxit, addita sententia: *Tournefortias* baccis tetrapyrenis ossiculisque dispermis proprium genus constituere. Examen specierum utriusque generis, quae herbario nostro insunt, institutum, omnino confirmat hanc sententiam. Tamen magis e re esse crediderimus, characterem *Tournefortiae* LINNAEI erroneum emendare, et species baccis 4-pyrenis sub nomine *Tournefortiarum* servare; species autem baccis dipyrenis ad genus *Messerschmidiam*, cujus characteri respondent, transferre. Sic ambo Linnaei genera — quae semper nobis sancta! servantur et nomen novum evitatur.

MENYANTHES. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 263. JUSS. Gen. p. 98. GAERTN. Fruct. 2.

Cor. rotata: laciniis disco longitudinaliter barbatis. Stigma bifidum. Caps. 1-locularis 2-valvis.

1. MENYANTHES indica.

M. foliis subrotundis profunde cordatis subcrenatis, petiolis floriferis.

M. indica, foliis cordatis subcrenatis, petiolis floriferis, corollis interne pilosis. WILLD. *Sp. pl. 1. p. 811. (excl. syn. RHEED. Malab. 11. p. 55. t. 28.)* RODSCH. *Observ. p. 73.*

ICON. CURT. *Mag. t. 658.*

RUMPH. *Amb. 6. t. 72. f. 3.*

In fossis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret Octobre,

Radix fibrosa. Folia longe petiolata, cordato-subrotunda vel orbiculata, obsolete crenata, nitida, juniora crassa, subtus porosa. Petioli teretes, fusi, floriferi. Flores fasciculati, longe pedunculati, quasi umbellam ad basin folii constituentes. Corolla alba, interne pilosa, fundo lutea. Antherae rubro-brunneae.

LISIANTHUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 274. JUSS. Gen. p. 142. GAERT. Fruct. Suppl. 1. p. 23. t. 183.

Cal. 5-partitus, carinatus. Cor. tubo ampliato, limbo 5-fido. Stigma bilobum. Caps. 2-locularis, 2-valvis.

1. LISIANTHUS chelonoides.

L. foliis oppositis ovali-oblongis obtusis subconnatis; panicula terminali dichotoma racemosa.

L. Chelonoides, glaber, foliis oppositis subconnatis oblongis, panicula terminali dichotoma racemosa. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 827.

ICON. GAERTN. *Fruct. Suppl.* 1. t. 183 (fructus).

In sepibus plantationis *Sophienburg*.

Annua? Floret ab Octobre ad Februarium.

Descriptioni Ill. LINNAEI *Suppl.* p. 134 addimus: Caulis inferne quadrigonus, angulis rotundatis, superne sensim teres. Folia inferiora basi longe attenuata, paulo connata; superiora basi ovata et revera sessilia. Flores non lutei sed luteo-viridi. Capsula ovata, in stylum persistentem attenuata, bilocularis, bivalvis, valvularum marginibus subspiraliter inflexis. Semina minutissima, angulata.

CONVOLVULUS. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 287. JUSS. *Gen.* p. 133. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 247. t. 134.

Cor. campanulata vel infundibuliformis, 5-plicata. Ovarium 2- vel 3-loculare, loculis 2-spermis. Stigmata 2 oblonga vel setiformia. Capsula 2-4-valvis.

1. CONVOLVULUS tamnifolius.

C. foliis cordato-ovatis acuminatis cauleque pilosis, florum capitulis involucrentis hirsutis, pedunculis petiolo longioribus.

Ipomaea tamnifolia, foliis cordatis acuminatis pilosis, floribus aggregatis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 885.

ICON. DILL. *Elth.* t. 318. f. 414.

In graminosis continentis circa rivum *Arowabischkreck*.

Annua. Floret Januario.

Cum nulla, quantum scimus, descriptio, exceptis verbis a DILLE-
NIO de hac stirpe factis, exstet, eam jam exhibeamus.

Descript. Tota planta pilis ferrugineis hic rarioribus, illic densioribus adspersa. Caules ramosi, volubiles et repentes, teretes, torti, scabri. Folia remota, petiolata, ovata, acuminata, basi cordata, pollices 3 longa, 2 lata, margine ciliata. Petioli longitudine foliorum, canaliculati. Pedunculi axillares, foliis longiores, apicem versus tomentosi. Flores in capitula terminalia, subrotunda, bi- tripartita, involucreta congesti, subsessiles. Involucris foliola foliis caulinis similia, sessilia, exteriora ovata, interiora sensim minora et angustiora, infima calycis foliorum figura et superficie. Calyx 5-phyllus, foliolis linearilanceolatis, externe hirsutis. Corolla vix calyce major subinfundibuliformis; limbo erecto 5-angulato, coeruleo, plicisque albis. Filamenta compressiuscula, glabra. Antherae peltatae, niveae, linea ferruginea medio notatae. Ovarium ovatum. Stylus longitudine staminum. Stigma bilobum, lobis oblongis. Capsula calyce persistente tecta, subrotunda, bilocularis, 4-valvis, 4-sperma. Semina quatuor, hinc convexa inde angulata.

Observ. Convolvuli et Ipomoeae disjunctio naturae maxime inconveniens est, sive naturalis, sive artificialis systematis ratio habeatur. Vix limites certi et definiti inter utrumque genus statui possunt, nec anthologice, nec carpologice. Corolla in utroque infundibuliformis vel campanulata est. Ovarium 2—3 locale, loculis 2-spermis. Stigma capitatum generi Ipomoeae attributum rarius globosum integrum, saepius emarginatum occurrit; nec minus nunc bilobum nunc bipartitum est, et sic per intermedios gradus in stigmata duo generis Convolvuli, nunc latiora obtusiora, nunc angustiora et tandem setacea abit. Capsula tam in Ipomoeae quam in Convolvuli speciebus, ratione stigmatis in unum vel alterum genus distributis 2—3—4-locularis, 2—3—4-valvis est. Sic rem esse, per analyses 60 et quod excurrit specierum hacce occasione in herbario nostro factas edocti sumus. — Magna ceterum pars Convolvulorum, si stigmatis conditionem respiciamus, ad Ipomoeas rejiciendi sunt.

IPOMOEAE. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 288. JUSS. Gen. p. 134. GAERTN. Fruct. 2.
p. 247. t. 134.*

Cor. campanulata vel infundibuliformis, 5-plicata. Ovarium 2-5-loculare, loculis 2-spermis. Stigma globoso-capitatum, 2-5 lobum. Caps. 2-4-valvis.

1. IPOMOEAE brasiliensis.

I. foliis orbiculatis emarginatis basi biglandulosis glabris; pedunculis uni- vel trifloris.

Convolvulus brasiliensis, foliis emarginatis basi biglandulosis, pedunculis trifloris. WILLD. *Sp. plant. 1. p. 877. RODSCH. Observ. p. 50.*

ICON. PLUM. *Amer. t. 104.*

In litore arenoso insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret a Februario usque in Aprilem, et a Septembro ad Decembrem.

Cum nullibi justam hujus stirpis descriptionem invenimus, talem hic exponere juvat.

Descript. Tota planta glaberrima, succo lactescente scatens. Caules suffruticosi, prostrati, longe lateque repentis, saepe digiti crassitie, teretes, laeves. Folia crassa, orbiculata vel oblongo-orbiculata, emarginata, rarius integra, costato-venosa, basi glandulis duabus petiolaribus in dorso notata. Petioli foliis duplo longiores, semiteretes, canaliculati. Pedunculi axillares, petiolis ut plurimum longiores, 1- vel 3-floribus; pedicelli laterales supra basin bracteis duabus oppositis oblongo-lanceolatis ornati. Calyx parvus: foliolis oblongis obtusis, mucrone terminatis, exterioribus duobus minoribus. Corolla magna, infundibuliformis, purpurea, limbo subquingulato. Filamenta inferne subvillosa. Antherae sagittatae. Stigma crassum, globoso-didymum. Capsula nobis non visa.

2. IPOMOEA martinicensis.

I. foliis elliptico-oblongis glabris; floribus solitariis, pedunculis folio longioribus, caule subrepente.

Convolvulus martinicensis, foliis ellipticis glabris, pedunculis unifloris folio longioribus, caule repente. WILLD. *Sp. pl.* p. 878.

ICON. JACQ. *Amer. t. 17. ed. pict. t. 24.*

In locis humidis insulae Arowabisch.

Perennis. Floret a Novembri ad Aprilem.

Adumbrationi Cel. JACQUINI *Stirp. amer. 1. p. 26* addemus nonnulla, nempe:

Caulis magis volubilis, quam repens. Folia elliptico-oblonga, saepe basi paululum angustata, ut plurimum pollices $2\frac{1}{2}$ longa, rarius ultra lineas 9 lata. Pedunculi interdum biflori. Corolla infundibuliformis; extrinsecus pilosa, alba. Filamenta inferne barbata. Ovarium ovatum. Stylus longitudine staminum longiorum. Stigma capitatum. Capsula subrotunda, obsolete tetragona 1-locularis, 4-valvis. Semina 4 ut videtur placentae columnari affixa, hinc convexa, inde angulata, dura, nigra. — Capsulae fabrica interna accuratius in vivis examinanda! Valde differre videtur a reliquis hujus generis speciebus.

3. IPOMOEA purpurea.

I. foliis subrotundo-ovatis cordatis, pedunculis unifloris incrassatis fructiferis cernuis, calyce piloso.

I. purpurea, foliis cordatis indivisis, fructibus cernuis, pedicellis incrassatis. ROTH. *Bot. Abhandl. p. 27. n. 8.*

ICON. DILL. *Elth. t. 82. f. 94.*

In arvis et plantationibus.

Annua. Floret...

4. IPOMOEA cymosa. nob.

I. foliis cordato-ovatis acuminatis glabris; floribus cymosis, pedunculis petiolo longioribus.

In sepibus plantationis *Hamburg*.

Annua? Floret Decembri, Januario etc.

Descript. Caulis volubilis, angulosus, striatus, glaber, ad petiolorum pedicellorumque insertionem pilis raris rigidis adspersus. Folia petiolata, ovata, acuminata, basi profunde cordata, sinu rotundato, pollices 3 longa, $2\frac{1}{2}$ lata, integerrima, utrinque glabra, subtus glaucescentia. Petioli foliorum longitudine, glabri. Pedunculi axillares, foliis breviores, petiolis longiores terque crassiores, teretes, apicem versus paulo incrassati, glabri. Cyma terminalis, nuda, ut plurimum 4-partita; rami erecti, pollicares, in ramulos 3—5 unifloros divisi. Calyx scariosus, glaberrimus, foliolis ovali-oblongis, exterioribus 2 in mucronem attenuatis, uninerviis; interioribus 3 paulo latioribus, obtusiusculis, mucrone terminatis, enerviis. Corolla subcampanulata, interne lactea, limbo roseo, fundo purpureo. Stamina inaequalia. Antherae sagittatae. Stylus filiformis. Stigma capitato-didymum, transverse sulcatum. Capsula 3-ocularis, 3-valvis. Semina 3.

Affinis huic speciei videtur *Convolvulus maximus*, sed differt foliis junioribus subhastatis, capsulis 4-ocularibus etc.

5. IPOMOEA umbellata.

I. foliis oblongo-ovatis cordatis glabris; floribus capitato-umbellatis, pedunculis petiolo longioribus.

Convolvulus umbellatus, foliis cordatis, caule volubili, pedunculis umbellatis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 857.

ICON. PLUCK. *Alm. t.* 167. f. 1.

In sylvis humidis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret Septembri.

Descriptioni exacti Cel. SWARTZII *Observ. p. 62* levissima tantam adjicere liceat. Antherae tortae et stylus flexuosus! Stigma globosodidymum.

6. IPOMOEA breviflora. nob.

I. foliis sagittato-cordatis glabris, floribus subumbellatis involucratis, pedunculis petiolo brevioribus, foliolis calycinis exterioribus plicato-rugosis.

In humidis plantationis *Sophienburg*.

Annua? Floret Novembri, Decembri et Januario.

Descript. Caulis volubilis, flexuosus, angulosus, scaber, pilisque rigidis plus minusve adpersus, nitidus. Folia sagittato-cordata, sinu amplo lobis baseos rotundatis, integerrima, utrinque glabra, subtus glaucescentia. Petioli foliis paulo breviores, canaliculati. Flores subumbellati. Umbellae axillares, pedunculati, involucrati. Pedunculi petiolis duplo vel quadruplo breviores, cauleque crassiores, compressi, bicarinati. Pedicelli 2—6 pedunculi fere longitudinis, basi foliolis 3—4 membranaceis, elliptico-oblongis, reticulatis, mucrone terminatis, involucri instar cincti. Calycis foliola ovalia, mucrone parvo terminata, glabra; exteriora 3 nervis subtribus plicaeformibus, quorum laterales evanescentes notata; interiora 2 duplo breviora et angustiora, enervia, pellucida. Corolla maxima, purpurea. Antherae sagittatae, luteae. Stigma capitatum, didymum. Capsulam non vidimus.

Observ. Folia juniora paulo acuminata, apex autem obtusiusculus. Superficies caulium juniorum hirta, aetate provectorum hispida, adulatorum tandem subnuda, tactu tantum scabriuscula.

7. IPOMOEA pandurata.

I. foliis cordato-ovatis integris repando-lobatisve glabris; floribus cymosis, pedunculis petiolos superantibus.

Convolvulus panduratus, foliis cordatis integris panduriformibus, calycibus laevibus. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 350.

ICON. DILL. *Elth. t. 85. f. 99.*

In sepibus insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret a Septembre ad Januarium.

Foliorum facies et inflorescentia in hac stirpe valde variabiles sunt.

Folia adulta cordato-ovata, acuminata, nunc integerrima nunc basi subangulata; juniora profundius cordata, nunc angulato-repanda, nunc subtriloba, lobis baseos in lacinias duas, quarum altera sursum altera deorsum spectat, productis. Superficies foliorum in speciminibus nostris spontaneis ex toto glabra, in planta culta auctoritate WILDENOWII *Enum. p. 203* pubescens. Flores singuli, bini, terni, in planta adulta autem ut plurimum cymosi; cyma 3—4-partita, ramis 2—3-fidis. Calyx Ipomoeae acetosaefoliae. Corolla externe alba, interne purpurea. Stigma capitoto-didymum.

8. IPOMOEA acetosaefolia.

I. foliis lineari-oblongis obtusis basi subhastatis integrisve, floribus solitariis, pedunculis petiolo longioribus; caule repente.

Convolvulus acetosaefolius, foliis oblongo-lanceolatis subhastatisque, pedunculis elongatis unifloris, caule repente. WILLD. *Sp. pl. 1. p. 874.*

ICON. PLUM. *Amer. t. 105.*

In arena cunei inferioris insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret Decembri etc.

Descriptioni Cel. VAHLII *Eclog. 1. p. 18* addere liceat: Caules saepe pennae gallinae crassitie, jam teretes, jam compressi, angulati, rimosi, hirti vel glabriusculi, ex ochraceo rufescentes. Folia ut exempla plura nobis docent tam magnitudine quam forma ingenter variantia. In plantis adultis, excepto petiolo, interdum pedalia, in junioribus a sesquiunciali usque ad 5-pollicarem elongata longitudinem; ad formam quod attinet ut plurimum lineari-oblonga, basi plus minusve rotundata, vel lobis duobus oppositis, brevibus, obtusis, patenti-divergentibus aucta et igitur subhastata; rarius anguli solitarii vel utrinque duo supra lobos baseales obsoletio-

res eminent. Apex foliorum obtusus, saepe truncato-rotundatus, interdum emarginatus. Substantia foliorum subcarnosa, superficies glaberrima. Pedunculi petiolis longiores, sed foliis breviores. Calycis foliola exteriora duo firma, lineari-oblonga, interiora membranacea, oblonga, omnia mucrone brevi terminata. Corolla alba, fundo purpurascente. Filamenta basi barbata. Antherae sagittatae, albae. Stigma capitato-didymum. Capsula obsoleta quadrangula, 4-locularis.

9. IPOMOEA tuberosa.

I. foliis palmatis, lobis septenis lanceolatis acuminatis, pedunculis cymosis petiolorum longitudine.

β. floribus albis fundo purpureis.

Convolvulus americanus, mandiorae multifido folio, heptaphyllos, flore albo fundo purpureo, radice tuberosa, cortice albo. PLUCK. *Alm.* p. 116.

ICON. PLUCK. *L. c. t.* 276. *f.* 6. (*sine flore.*)

In sepibus plantationis *Sophienburg.*

Perennis. Floret ab Octobre ad Februarium.

Excepto florum colore haec varietas cum specie principali in omnibus convenit, igitur pro vera ejus varietate censenda. Pedunculi cymosi, 3—6 flori, petiolorum fere longitudine. Flores magni externe niveo-carnei, fundo purpurei, tubus brevissimus vix calycis longitudinis, faux dilatatus, limbus subintegerrimus. Antherae sagittatae. Stigma globosum.

Observ. 1. Ipomoea tuberosa habitu persimilis est Ipomoeae digitatae, sed lobi foliorum oblongo-lanceolati, acuminati, inque apice extremo obtusiusculi sunt, in I. digitata lobi lineari-oblongi, obtusi.

Observ. 2. Convolvulus Batatas AUCT. plures species inter se diversas amplectitur, quae ob tubera edulea inter se commutatae sunt. Cel. WILLDENOWIUS *Sp. plant.* 1. p. 353 v. c. tres species diversas sub Conv. Batate conjunxit, quarum characteres et synonyma hic explicare placet.

1. *Ipomoea Batatas*, foliis cordato-ovatis repando-vel sinuato-dentatis nervoso-venosis glabris, pedunculis axillaribus subunifloris, caule repente hispido tuberifero.

Convolvulus foliis cordatis hastatis quinquenerviis, caule repente hispido tuberifero. MILL. *Dict.* n. 7.

C. foliis cordatis angulatis radice tuberosa. *Hort. Cliff.* p. 67. ROY. *Lugdb.* p. 427.

C. indicus orientalis Inhame s. Batatos. MORIS. *Hist.* 2. p. 11. *Sect.* 1. t. 3. f. 4. (*mala.*)

Batatas. RUMPH. *Amb.* 5. p. 367. t. 130.

Kappa kelengu. RHEED. *Malab.* 7. p. 95. t. 50.

Habitat in *India orientali* — nunc plurioribus terris culta.

Folia variant pro loci natalis indole nunc magis nunc minus profunde cordata, remote subdentata, repando-dentata, vel sinuato-dentata. Flores locis sterilibus tantum et rarius occurrentes, ut plurimum solitarii, rarius bini, terni, minores, saturate rosei ad oras albidii. Tubera cylindrico-oblonga.

2. *Ipomoea Catesbaei nob.* foliis subrotundo-ovatis breviter acuminatis multinerviis integerrimis, pedunculis subtrifloris petiolo brevioribus, radice tuberosa.

Convolvulus radice tuberosa esculenta etc. CATESB. *Carol.* 1. p. 60. t. 60.

C. Batatas. FLENK. *Pl. med.* p. 9. t. 106.

Hab. in *America meridionali.*

Caulis volubilis. Folia exacte subrotundo-ovata acuta vel breviter acuminata, basi cordata, nervis 10—12 parallelis approximatis notata, integerrima. Pedunculi axillares saepe triflori. Flores subcorymbosi, pedicellati, magni, purpurei. Tubera subrotundo-oblonga, acuminata (*ex icon.*).

Observ. Ceterum silentio praeterire non possumus, folia in icone tam exacte Dioscoreae villosae folia referre, ut fere suspicemur Cel. virum, ex singulari quidem errore, Dioscoreae speciei flores Convolvuli in icone adsignasse. Affinitas tuborum Dioscorearum et eorum communis usus huic opinioni omnino favet.

3. Ipomoea tuberosa. (Charact. conf. supra.) WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 881. (excl. syn. PLUCK.) JACQ. *Observ.* 1. p. 39. *Hort. Ups.* 39. MILL. *Dict.* n. 5.

I. heptadactyla major etc. BROWN. *Jam.* p. 155.

Convolvulus indicus vulgo Patates dictus. FEUILL. *Journ. Observ.* T. 2. p. 16 (ad calcem libri) t. 11.

Convolvulus major heptaphyll. SLOAN. *Jam.* 56. *Hist.* 1. p. 152. t. 96. f. 2.

β) floribus albis fundo purpureis. (vid. supra.)

PSYCHOTRIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 313. JUSS. *Gen.* p. 204. GAERTN. *Fruct.* 1.

p. 120. t. 25.

Cal. 5-dentatus, coronans. Cor. tubulosa. Bacca globosa. Semina 2 hemisphaerica, sulcata.

1. PSYCHOTRIA herbacea.

P. caule herbaceo repente, foliis ovato-subrotundis cordatis petiolatis, stipulis ovatis emarginatis.

Psychotria herbacea, caule herbaceo repente, foliis cordatis petiolatis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 967.

ICON. JACQ. *Amer.* t. 46. edit. pict. t. 67.

RHEED. *Malab.* 10. t. 21.

In sylvis plantationis *Altona*.

Perennis. Floret et fructificat Septembri.

Descriptionibus JACQUINI *l. c. p. 66* et SWARTZII *Observ. p. 74* haecce addimus. Folia pollicem longa et lata, non acuta, ut vult Cel. SWARTZ. sed JACQUINO consentiente cordato-subrotunda et obtusiuscula, non obtuse serrata sed subintegerrima vel integerrima. Petioli foliorum longitudine et longiores. Involucrum singulo flori triphyllum. Calycis usque infra medium 5-fidi lacinia inferior reliquis minor. Antherae erectiusculae, lanceolatae, albae. Baccae excepta parvitate, facie et colore fructus *Oxyacanthae*, succulenta. Semina hinc convexa illinc plana, flavescentia.

2. PSYCHOTRIA crocea.

P. caule fruticoso, foliis ovalibus acuminatis, stipulis truncatis bidentatis, paniculis corymbosis longitudine foliorum.

P. crocea, stipulis bidentatis, foliis ovatis acutis nervosis, paniculis erectis, pedunculisque croceo-coloratis. WILLD. *Sp. pl. 1. p. 969*.

ICON. BROWN. *Jam. t. 13. f. 1. (flores)*.

In umbrosis insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret Octobre.

Fere incerti haesimus utrum nostra planta P. crocea sit, an P. corymbosa, species quantum e descriptionibus Cel. SWARTZII conijcere licet sibi valde affines.

En igitur nostrae stirpis descriptionem.

Descript. Frutex 5—6-pedalis, cortice cinereo, glaberrimo. Rami teretes, glabri, sanguinei. Folia opposita, brevissime petiolata, firma, ovalia, longe acuminata, basi acuta et tenuiter in petiolum desinentia, pollices 5 longa, $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ lata, integerrima, costato-venosa, glaberrima, nitida. Petioli 2—3 lineares, glabri, stipulis lateralibus truncatis, utroque latere denticulo praeditis, connati. Paniculae terminales, erectae, subcorymbosae, pedunculo longo insidentes, tamen folia haud superantes. Rami pauci subverticillati vel alterni, ut ramuli sive pedicelli subfastigiati et parum incrassati, basi bractea lanceolato-subulata,

colorata suffulti, una cum pedunculo communi angulati, glabri, rubri. Calyx parvus, persistens, germini circumnatus, tubulosus, 5-dentatus. Corolla tubulosa, calyce triplo major, crocea, tubo erecto, 5-fido, laciniis acutis. Filamenta subulata, tubo infra medium supra pilorum seriem inserta. Antherae erecto-incumbentes, lineares, filamentorum longitudine, semiemersae. Ovarium oblongum. Stylus filiformis. Stigmata 2 setacea subvillosa. Bacca ovata, coronata, compressa, subdidyma, bilocularis.

Observ. Cel. SWARTZIUS Psychotriae croceae stigma unum crassiusculum emarginatum attribuit: in figura BROWNIi illio ipso citata autem aequae ac in nostra planta stigmata duo setacea adsunt. — BROWNIi figura l. c. 2 excludenda est.

Frutex hic 5 — 6 pedalis cymis croceis in umbrosis insulae Arowabisch crescit et floret pulcherrime mense Octobre. RODSCH.

CEPHAELIS. SWARTZ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 316. (Callicocca.) JUSS. Gen. p. 208. SW. Prodr. p. 45. t. 10.

Flores capitati. Cor. tubulosa. Stylus 2-fidus. Receptaculum ut plurimum paleaceum. Bacca disperma.

1. CEPHAELIS alba.

C. capitulis terminalibus, involucri 5-phyllo; foliis ovatis acutis petiolatis cauleque repente hirtis.

Cephaelis alba, capitulis terminalibus nudis, foliis ovatis subtus pubescentibus, caule repente glabra WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 978.

In sylvis:

Perennis. Floret Julio, Augusto.

Male Cel. WILDENOWIUS florum capitula nuda et caules glabros dixit. Jam descriptio et icon AUBLETII docent, illa involucri pentaphyllo

foliis lanceolatis amicta, et hos, ut totam plantam, pilis crispatis rigidiusculis albidis hirtos esse.

2. **CEPHAELIS** crocea. nob.

C. capitulis terminalibus, receptaculo nudo, involucrio 8-phyllo, foliis ovalibus utrinque breve acuminatis glaberrimis.

In nemorosis.

Frutex. Floret ...

Descript. Rami et ramuli subquadranguli; ramuli juniores quadranguli, glaberrimi, fusco-ferruginei. Folia opposita, breve petiolata, ovalia, utrinque acuminata, uncias 3 longa, $1\frac{1}{2}$ lata, integerrima, costato-venosa, venis arcuatis, glaberrima, laete viridia, nitida. Stipulae laterales, geminatae, lineares, obtusiusculae, basi per paria opposita membrana vaginante, cui petioli insident, conjunctae, glabrae. Flores sessiles in capitulum aggregati. Capitula terminalia, solitaria, subglobosa, brevissime pedunculata. Pedunculus trilinearis, pubescens. Involucrum 8-phyllo: foliola e basi ovata oblongo-linearia, obtusiuscula, duo exteriora basi reliquis duplo latiora, ciliata, nervoso-venosa, flavescenti-viridia. Paleae nullae. Calyx campanulatus, patulus, vix 5-dentatus, ciliatus, involucri colore. Corolla crocea, externe pubescens, interne villosa, tubo basi angustato, limbo 5-fido, laciniis oblongis, obtusis, Antherae lineares, crocae, Stylus corolla fere duplo longior, bifidus.

Differt ab omnibus hujus generis speciebus involucrio 8-phyllo florumque receptaculo nudo.

Observ. Genus Psychotriae Cephaeli proximum est, unice in eo differt, quod flores non capitati sunt, et non involucrati.

PHYSALIS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 336. JUSS. *Gen.* p. 126. GAERTN. *Fruct.* 2.
p. 238. t. 131.

Cal. 5-dentatus. Cor. campanulato-rotata. Antherae conniventes, longitudinaliter dehiscentes. Bacca intra calycem inflatum, bilocularis.

† Annuae.

1. PHYSALIS angulata.

P. caule ramosissimo, ramis angulatis glabris, foliis ovatis grosse serratis.

P. angulata, ramosissima, ramis angulatis glabris, foliis ovatis dentatis.

WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1022. RODSCH. *Observ.* p. 79.

ICON. DILL. *Elth.* t. 12. f. 12.

β) foliis subintegerrimis.

ICON. DILL. *Elth.* t. 11. f. 11.

In plantatione Hamburg.

Annua. Floret per totum annum.

Flores flavae. Antherae coeruleae. *Fructus vescuntur* RODSCH.

SOLANUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 337. JUSS. *Gen.* p. 126. GAERTN. *Fruct.* 2.
p. 239. t. 131.

Cor. rotata rarius campanulata, plicata. Antherae subcoelatae, apice poro gemino dehiscentes. Bacca 2-rarius 4-loocularis.

† Innermia.

1. SOLANUM erythrocarpon. nob.

S. caule perennante, foliis oblongo-ovatis utrinque acuminatis integerrimis, racemis subumbellatis interfoliaceis.

In cultis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret toto anno.

Descript. Planta habitu et statura Solani nigri. Caules 2—3 pedales, erecti, ramosissimi, obsolete angulosi, una cum ramis patentibus vel divergentibus subscabri et puberuli. Folia gemina vel solitaria, oblongo-ovata, acuminata, basi in petiolum attenuata, integerrima, nunc pubescentia nunc glabriuscula. Racemi interfoliacei subumbellati, pedunculati. Pedunculi uncialis, filiformes, stricti, puberuli; pedicelli 3—5 uniflori, fructiferi paululum incrassati et deflexi. Flores minuti. Calycis lacinae breves, acutiusculae. Corolla alba, pubescens, laciniis oblongis, acutis. Antherae obtusae luteae. Ovarium subrotundum. Stylus staminibus paulo longior. Stigma obtusum. Baccae pendulae, pisi minoris magnitudine, lutescenti-rubrae, nitidae.

Nostrae speciei affinitate proximum est Solanum nodiflorum JACQ.; sed differt caule fruticoso, foliis latioribus, floribus revera umbellatis, baccis nigris.

Varietates sic dictae Solani nigri differunt a S. erythrocarpo:

var. β. S. patulum. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1035 statura duplo majori et robustiori, foliis latioribus, florum et baccarum colore.

var. δ. S. gujanense, ibi: ramis angulatis, angulis dentatis, fructibus majoribus nigris etc.

var. ζ. S. hirsutum, ibi: hirsutie et fructibus nigris.

var. ε, ζ, η. foliis repandis, dentatis vel angulatis ramis fructibusque.

Solanum miniatum. WILLD. *Enum.* p. 236 nostra revera non affine est. — Diagnosis S. rubri LINN. *Syst. veget.* p. 173 etiam in nostram plantam quadrat, sed quia non verbum ulterius de hac specie addit III. LINNAEUS et planta a nullo alio observata, nec non patria ignota est,

omnino pro dubia habenda, et decerni non potest, an nostra eadem sit, nec ne.

†† Aculeata.

2. SOLANUM mammosum.

S. caule herbaceo, foliis subrotundo-ovatis sinuato-angulatis basi subtruncatis utrinque pilosis aculeatisque; racemis lateralibus paucifloris, calycibus muticis.

S. mammosum, caule aculeato herbaceo, foliis cordatis angulato-lobatis: utrinque villosis aculeatis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 1040. RODSCH. *Observ.* p. 85.

ICON. PLUCK. *Alm.* t. 226. f. 1.

MERIAN. *Surinam.* t. 27.

In humidis plantationis *Hamburg.*

Annua. Floret toto fere anno.

3. SOLANUM stramonifolium.

S. caule fruticoso, foliis oblongis sinuato-angulatis basi truncato-cordatis utrinque tomentosis aculeatisque; racemis lateralibus, calycibus muticis.

S. stramonifolium, caule aculeato-fruticoso, foliis cordatis angulato-lobatis integris subinnermibus subtus tomentosiusculis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1044.

ICON. JACQ. *Icon. rar.* 1. t. 44.

Copiose in sylvis plantationis *Hamburg.*

Frutex. Floret toto anno.

Descriptioni Ill. JACQUINI *Misc.* 2. p. 298 addimus: Aculei flavi. Calyx tomentoso-scaber, laciniis obtusis nunc emarginatis nunc integris. Corolla albo-villosa subtus purpurascens, atro-punctata. Antherae non cohaerentes.

4. SOLANUM Rodschiedii. nob.

S. caule fruticoso, foliis oblongis sinuatis integrisque basi subcordatis vel attenuatis, subtus tomentosis aculeatisque; racemis lateralibus, calycibus muticis.

In continente circa *Arowabischikreck*.

Frutex. Floret Januario.

Descript. Frutex ramosus, ubique — exceptis ramis adultis et genitalibus — pilis eleganter stellatis plus minusve adpersus, nec non ramis, petiolis foliisque aculeis solitariis compressis flavis — quorum ranei curvati, reliqui recti — armatus. Cortex trunci et ramorum adultorum glaber viridi-brunneus. Folia alterna, oblonga, ut plurimum profunde sinuata, nonnulla repanda, pauca integerrima, acuta, basi nunc cordata nunc in petiolum subdecurrentia; pili in pagina superiori viride sparsi, in inferiora canescente approximati. Petioli semiteretes ut racemi pilis densis tomentosi. Racemi laterales, erecti, subsessiles, bipollicares, multiflori. Pedicelli simplices, deflexi, uniflori. Flores ante et post anthesin deorsum spectantes. Calycis lacinae brevissimae, obtusiusculae, muticae. Corolla Solani mammosi, violacea, externe ut calyx tomentosa. Antherae lineares, luteae. Stylus antheras superans, apice curvatus. Baccae cerasi magnitudine.

Observ. Folia quercinum folium saepe non male repraesentant. Pili e radiis 8, regulariter e centro emissis, aequilongis, rectis, albidis compositi observantur.

CAPSICUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 338. JUSS. Gen. p. 126. GAERTN. Fruct. 2. p. 241. t. 132.

Cal. 5-fidus. Cor. rotata. Antherae conniventes. Bacca exsucca 2-ocularis, polysperma.

1. CAPSICUM annuum.

C. pedunculis solitariis, fructibus oblongis pendulis, petiolis glabris, caule herbaceo.

C. annuum, caule herbaceo, pedunculis solitariis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1050. RODSCH. *Observ.* p. 38.

ICON. BLACKW. t. 129.

RHEED. *Malab.* 2. t. 35.

Passim.

Annua. Floret toto anno.

2. CAPSICUM conicum. nob.

C. pedunculis geminis, calycibus subintegerrimis, fructibus oblongo-conicis erectis, caule herbaceo.

C. frutescens. RODSCH. *Observ.* p. 23.

In plantationibus.

Annua. Floret fere semper.

Descript. Caules ramosi, flexuosi, teretes, subtuberculati, glabri. Rami patenti-divergentes in ramulos pubescentes divisi. Folia alterna, solitaria, rarius gemina, ovata, acuminata, basi breviter in petiolum attenuata, integerrima, utrinque scabriuscula, subtus ad venas subpubescentia. Petioli pubescentes. Pedunculi gemini, alares et axillares, erecti, teretes, puberuli, statu fructifero stricti, subincrassati, glabri. Flores cernui. Calyx subintegerrimus, glaber. Corollae tubus brevissimus, laciniae oblongo-ovatae, acuminatae, glabrae. Filamenta brevia. Antherae lineari-oblongae, obtusae, virescentes (an per exsiccationem?). Ovarium ovatum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigma obtusum. Pericarpia erecta, oblongo-conica, glabra, subcrocea, nitida. Semina reniformia, compressa, opaca.

Differt nostra stirps: a *Capsico annuo*, pedunculis geminis, fructibus erectis, magisque acuminatis; a *C. frutescente*, caule herbaceo, pedunculis geminis. Nullo alio affinis est.

3. CAPSICUM globiferum. nob.

C. pedunculis geminis, calycibus subintegerrimis, fructibus globosis erectis, caule fruticoso.

Capsicum baccatum ROEDER. *Observ.* p. 38.

In plantationibus.

Perennis. Floret fere semper.

Descript. Caules fruticosi, erecti, ramosi, teretes, tuberculati, glabri. Rami erecto-patentes vel patentes. Folia alterna gemina vel solitaria, ovata, basi apiceque acuminata, margine integerrima, subciliata, utrinque scabriuscula, juniora pubescentia. Pedunculi gemini, axillares, erecti, puberuli, fructiferi stricti et subincrassati, glabri. Flores minuti, subcernui. Calyx fere integerrimus, glaber. Corollae lacinae ovatae, acutiusculae. Antherae oblongae, obtusae, flavae. Ovarium subrotundum. Stylus longitudine staminum, crassiusculus. Stigma obtusum. Pericarpia erecta, globosa, cerasi parvi magnitudine, glabra, pallide flava, nitida. Semina reniformia, compressa, elevato-punctata, pallide fusca.

Affinitate proxima est haec species Capsico ciliari WILLD. *Enum.* p. 243, sed differt hoc, pubescentia insigni omnium partium, ramis divergentibus, foliis subrotundo-ovatis in brevem apicem acutissimum acuminatis, calycibus evidenter 5-dentatis, fructibusque globoso-ovatis.

Capsicum baccatum differt, calycibus 5-dentatis, fructibus subovatis duploque minoribus.

Capsicum cerasiferum tandem differt, pedunculis solitariis etc.

CORDIA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 350. *JUSS. Gen.* p. 128. *LAM. Illust.* t. 96.

Cal. 8-dentatus. Cor. infundibuliformis. Stylus dichotomus. Drupa nuce biloculari.

† Calyce laevi.

1. *CORDIA* hirsuta.

C. foliis oblongis utrinque attenuatis subpubescentibus, caule pedunculisque corymbosis terminalibus axillari-
busque hirsutis. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 1076.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 86.

In sylvis continentis.

Arbor. Floret fere per totum annum.

MARIPA.

AUBL. *Guj.* I. p. 230. t. 91. JUSS. *Gen.* p. 133.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. 5-partitus, imbricatus. Cor. 5-fida, 5-plicata. Stigma
conicum, 10-sulcatum. Drupa? 2-ocularis, 2-sperma.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium monophyllum, 5-partitum, persistens, laciniis subro-
tundis imbricatis.

Cor. monopetala, externe sericeo-tomentosa. Tubus brevissimus calycis
longitudine. Faux campanulata, 5-plicata. Limbus erectus, 5-fi-
dus, laciniis obtusis.

Stam. Filamenta 5, tubo inserta, corolla triplo breviora. Antherae
erectae, lineari-oblongae.

Pist. Ovarium subrotundum, superum. Stylus filiformis, staminibus
longior. Stigma capitato-conicum, 10-sulcatum.

Pericarp. Drupa? subrotunda, 2-ocularis, loculis dispermis.

Sem. 4, triquetra, hinc plana inde convexa.

HABITUS.

Arbores vel frutices. Folia alterna, subcoriacea, breviter petiolata.
Flores in paniculis compositis multifloris, externe sericeo-villosi. Fructus
tetraspermus.

AFFINITAS.

Differunt a Maripa genera: Thuinia s. m. filamentis corolla duplo longioribus declinatis; antheris bilobis cordatis; stigmate simplici obtuso; (fructus ignotus) — Ehretia, calyce minimo corollae limbo patentissimo vel reflexo; antheris subrotundis incumbentibus; stigmate emarginato — Varronia calyce et corolla tubulosis, antheris incumbentibus, stylo dichotomo, fructibusque.

Observ. Nullibi in WILLD. et PERSONII *Spec. plant.* neque genus Maripae neque sub alio genere speciem Maripam scandentem AUBLETII deprehendere possumus.

1. MARIPA erecta. nob.

M. erecta, paniculis strictis, stylo incluso.

Ad ripas rivi *Itebischikreck.*

Arbor. Floret Octobri.

Descript. "Arbor alta elegans," cortice rugoso griseo vestita. Ramuli compresso-angulati, striati, glabri. Folia alterna, subcoriacea, oblonga, leviter acuminata, spitea vel pedalia, integerrima, venosa, utrinque glabra, supra nitida, subtus pallidiora. Petioli pollicares, crassi, subcarnosi. Panicula terminalis, longissima, stricta, e paniculis corymbosis alternantibus, quorum inferiores foliis stipatae, composita: rami et ramuli angulosi, basi bractea singula ovata obtusa suffulti, ramuli et pedicelli insuper bracteis duabus oppositis minoribus instructi, una cum bracteis calyceque tomentoso-pubescentes. Calyx subcoriaceus, persistens, 5-partitus, laciniis subrotundis imbricatis, exterioribus 3 subpatis integris, interioribus 2 tubum corollae arcte obvallantibus subemarginatis, ciliatisque. Corolla alba: tubus brevissimus calycem haud superans, glaber; faux campanulata, tubo triplo longior, una cum limbo 5-fido, margine crenulato, 5-plicato, exceptis plicis glabris, sericeo-villosa. Stamina medio tubo inserta, corolla duplo breviora. Filamenta basi pubescentia. Antherae erectae, filamentorum fere longitudine, lineari-oblongae, obtusae, basi bilobae, medio sulco profundo

inscriptae. Ovarium biloculare, loculamentis dispermibus. Ovula triquetra, basi truncata. Stylus filiformis, corolla tertia parte brevior. Stigma peltato-conicum, profunde 10-sulcatum.

Fructum immaturum tantum vidimus, quare haud certi sumus utrum bacca exsucca sit, an drupa (vix capsula): fabrica interna ceterum exacte eadem quae AUBLETIIUS Maripae scandenti, cujus fructus etiam immaturos tantum vidit, in icone attribuit.

Arbor alta et elegans est, quae ad rivum Ilerbischikreck crescit et Octobre floret. RODSCH.

Differt nostra stirps a Maripa scandente AUBL. *Guj.* 1. p. 230. t. 91. si descriptio et icon AUBLETII justae — trunco arboreo, erecto (auctoritate signaturae speciminis exsiccatis per RODSCH.) ramis non scandentibus, paniculis strictis, corollae limbo erecto, styloque corolla breviori.

CHRYSOPHYLLUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 355. JUSS. Gen. p. 152. GAERT. Fruct. Suppl. I. p. 120. t. 201.

Cal. 5-partitus. Cor. campanulata. Bacca 1—10-locularis, 1—10-sperma. Embryo albumine tectus.

1. CHRYSOPHYLLUM nitidum. nob.

C. foliis ovalibus apice producto obtusis emarginatisque utrinque glabris supra lucidis.

In sylvis continentis.

Arbor? Floret...

Descript. Ramuli erecto-patentes, teretes, glabri, cinerascens; juniores tomento sericeo adpresso ferrugineo vestiti. Folia alterna, petiolata, firma, ovalia, apice paulo producta, obtusata leviterque emarginata, uncias 3 longa, lineas 12—14 lata, integerrima, obsolete venosa, utrinque glabra, supra lucida subtusque nitida. Petioli semiteretes, canaliculati, una cum pedunculis ferrugineo-tomentosi. Flores umbellati.

Umbellulae axillares et interfoliaceae, alternae, sessiles, 4—5 florum. Pedicelli trilineares, uniflori. Calyx 5-fidus, tomentosus, laciniis conniventibus, rotundis. Corolla campanulata, pubescens; tubo calyce duplo longiori; limbo 5-fido, laciniis patentibus, ovatis, obtusis, concaviusculis. Filamenta medio tubo inserta, usque ad limbum tubo adnata, apice libera. Antherae subrotundo-ovatae, biloculares, in laciniarum cavitate reconditae. Ovarium ovatum, villosum. Stylus conicus, glaber. Stigma obtusum, tuberculis 5 liquorem secernentibus praeditum.

Differunt a nostro: *Chrysophyllum glabrum*, foliis minoribus ovatis, acutis, pedicellis 1—3. *Chrysophyllum microcarpum*, foliis ovatis, acutis, subtus pubescentibus.

Observat. In characteribus generum *Sideroxyli*, *Chrysophylli* et *Bumeliae* adsciscendis auctores maxime fluctuant, et in distribuendis speciebus fere pro lubitu agunt. Hujus rei causa sine dubio est, quod generum laudatorum stirpes nondum satis exploratae, et eorum natura haud rite nobis cognita erat. GAERTNERI Cel. filii disquisitiones in opere patris immortalis continuato publicatae novum lucem huic rei nuper adfuderunt. His edocti sumus, characteres generum certos in embryonis natura ejusque ad albumen relatione quaerendos esse. Quibus innixi characteres genericos hunc in modum constituimus.

1. CHRYSOPHYLLUM.

(vide supra)

2. SIDEROXYLON.

Cal. 5-fidus. Cor. rotata. Squamae 5 staminiferae alternantes. Bacca 1-ocularis, 1-sperma. Cotyledones apice ad utrumque latus supra albumen reflexae.

3. BUMELIA.

Cal. 5-partitus. Cor. tubulosa. Squamae 5. Bacca 1-ocularis, 1-sperma. Embryo albumine tenuissimo inclusus.

CABALLERIA. RUITZ. et PAV.

Flor. Peruv. et Chil. prod. p. 141. t. 36. VUSS. Gen. p. 151. (Mangilla).

Cal. 5-fidus. Cor. rotata. Antherae sessiles. Stigma pentagonum subsessile. Drupa 1-sperma. Albumen friabile. (Polygam.)

I. CABALLERIA coriacea. nob.

C. floribus fasciculatis pedunculatis, foliis coriaceis oblongo-obovatis integerrimis utrinque excavato-punctatis.

In sylva arenosa plantationis *Altona*.

Arbor. Floret a Februario ad Septembrem.

Descript. Arbor cortice brunnescente-cano vestita. Ramuli stricti, glabri. Folia alterna, apicem ramulorum versus magis approximata, coriacea, oblongo-obovata, obtusa vel acumine parvo terminata; inferiora obovata, apice rotundata; omnia basi in petiolum attenuata, integerrima, costa intermedia valida venisque obsoletissimis percursa, utrinque glabra, supra excavato-punctata, nitida, subtus opaca punctis elevatis intermixtis rarioribus excavatis adspersa. Petioli vix semipollicares, crassi, angulosi, glabri. Flores hermaphroditi et masculi in eadem arbore, in fasciculis paucifloris undique inter folia propullantibus congesti. Pedunculi trilineares, crassiusculi, uniflori, singuli basi bractea singula, ovata, concava, colorata suffulti. Calyx persistens, campanulatus, 5-partitus, laciniis ovatis. Corolla rotata, tubo brevissimo, limbo 5-partito, laciniis acuminatis, reflexis, puberulis. Filamenta nulla. Antherae oblongae, acutae, biloculares, corollae laciniis supra basin adnatae. Ovarium subrotundum superum, uniloculare. Stylus nullus. Stigma crassum, pentagonum. Drupa globosa, grano Piperis paulo major, apiculata, ruguloso-tuberculata, glabra, purpurea, deinde nigricans. Semen molle, rugulosum, brunneum, albumine ruminato aurantiaco.

Observ. 1. Flores in aestivatione aperti et corollae lacinae reflexae sunt: post nuptias calyx clauditur usque germen intumescit, deinde iterum patescit.

Observ. 2. Cel. R. BROWNIUS *Prodr. p. 533* genus Manglillam ad Myrsine LINN. cum multis speciebus ex aliis generibus retulit. Sed an haec conjunctio stirpium inter se satis discrepantium et a caractere LINNAEO Myrsini imposito plus minusve secedentium justa habenda, nobis repetitae disquisitionis res videtur; quare eo usque genus Caballeriam conservavimus.

SURUBEA.

AUBL. *Guj. 1. p. 244. t. 97.*

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. 5-partitus, imbricatus, 2-bracteatus, anthocorynio equitante inferne bilobo auctus. Cor. tubulosa, limbo 5-partito, reflexo. Bacca 1-locularis, polysperma.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium 5-partitum 2-bracteatum, persistens, laciniis imbricatis, subrotundis, concavis.

Anthocorynium carnosum, adscendens, calycis basi externe inter bracteas adnatum, inferne laciniis duabus descendentibus sinu pedicellum amplectentibus auctum.

Cor. monopetala, tubulosa. Tubus calycis longitudine. Limbus 5-partitus, laciniis tubo duplo longioribus, planis, reflexis.

Stam. Filamenta 5 plana, infra faucem corollae ad incisuras inserta limbo corollae breviora. Antherae ovaes, biloculares.

Pist. Ovarium ovato-subrotundum, superum, 5-loculare. Stylus o. Stigma crassum, subrotundo-conicum, 5-gonum.

Pericarp. Bacca corticata, subrotunda, stigmate coronata, per maturitatem 1-locularis.

Sem. numerosa, minuta, angulata.

HABITUS.

Arbuscula cortice transversim rimosa, ramis longis propendentibus. Folia sparsa, breviter petiolata, coriacea. Racemi terminales, simplicissimi. Flores carnosii, una cum pedicellis, pulchre colorati. Fructus bacca polysperma.

AFFINITAS.

Generi Ruyschiae proxime affinis, quod (ex iconibus et descriptionibus) differt: calyce anthocorynii loco bractea simplici recurvata aucto; corolla 5-petala; antheris incumbentibus; stigmate plano, quadrangulati; bacca biloculari?

I. SURUBEA Aubletii. nob.

Ruyschia Surubea. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 1116.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 97.

In arena insulae *Wacanama*.

Arbuscula. Floret Septembri.

Descript. Arbuscula 10—12 pedalis (AUBL.) cortice viridi-fusco rugoso transversim rimoso vestita. Rami elongati, propendentes, teretes, fragiles, epidermide secedente amicti. Folia sparsa, petiolata, coriacea, oblonga, apice superne glandula acuminata concava terminata, integerrima, costa intermedia valida venisque absoletis percursa, glaberrima, nitida. Petioli 2—5 lineares, crassi. Racemi terminales, simplicissimi, laxi. Flores sparsi, pedicellati. Pedicelli subcarnosi, pollicares, teretes, basi articulati, glabri. Calyx coriaceus, 5-partitus, laciniis subrotundis, concavis, imbricatis, bracteis 2 calycis laciniis similis suffultus. Anthocorynium mobile, calycis basi inter bracteas externe puncto centrali minuto affixum, longitudine pedicelli: pars superior clavula teres, carnosa, obtusa; pars inferior lobi duo crassi, pedicellum sinu amplectentes, oblongi, obtusi, interne concavi. Corolla carnosa, una cum pedicello et filamentis aurantiaca, tubo calycis longitudine, limbi laciniis planis, oblongis, obtusis. Filamenta cum corollae laciniis alternantia, compresso-plana, basi dilatata, primo patentia, post anthesin deflexa. Antherae supra convexae subtus planae, loculis medio

sulco notatis, puniceae. Ovarium lineis elevatis 10 notatum. Stigma subrotundo-conicum, 5-gonum, sulcis totidem in angulis distinctum, viride. Bacca subrotunda, stigmatē coronata, 1-ocularis, polysperma. Semina (quae in matura tantum vidimus) minuta, oblonga, angulata, subcurvata, rostello brevi terminata? in pulpa centrali nidulantia, centripeta.

Observ. Corpus clavaeforme calyci adnatum, hanc stirpem mirum in modum insigniens non ad *bracteas* (WILLD. *Kräuterkunde* ed. 4. p. 94) referendum est. Jam Immortalis LINNAEI definitio, quid sit bractea (*Phil. bot.* ed. 3. p. 51 — bractea dicitur folium florale etc.) id minime permittit. Nec folium est, nec folio simile, neque sane ei bractee officium attribuendum est. Non magis cum ascidio similitudo ei convenit. Quare duplex falsum sit, si bractee ascidiformis (WILLD. *l. c.*) nomen huic corpori imponitur. Ex hisce in sententia fuimus, ei inter plantarum fulcra sic dicta locum et nomen proprium aequae ac *ascidio*, *ampullae* etc. concedendum esse.

MANGIFERA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 381. JUSS. *Gen.* p. 369. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 95. t. 100.

Cor. 5-petala. Drupa reniformis.

1. MANGIFERA indica.

M. foliis lato-lanceolatis, floribus monandris, drupa reniformi.

M. indica, foliis oblongo-lanceolatis, floribus submonandris, drupa maxima reniformi. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1150.

ICON. JACQ. *Icon. rar.* t. 537.

RUMPH. *Amboin.* 1. t. 25.

In sylvis continentis.

Arbor. Floret...

Stamen antheriferum reliquis sterilibus triplo longius est.

HIRTELLA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 388. JUSS. Gen. p. 340. GAERTN. Fruct. Suppl. 1. p. 40. t. 185.

Petala 5. Filamenta longissima spiralia, persistentia.
Stylus lateralis. Drupa 1-sperma.

1. HIRTELLA paniculata.

H. racemis compositis terminalibus axillaribusque approximatis hirtis, floribus hexandris, foliis ovalibus.

H. paniculata, racemis compositis terminalibus aggregatis, pedunculo communi hirtis; floribus pentandris, hexandrisve, foliis ovalibus acutis.
WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1151.

H. aggregata. LAM. *Encyc. Suppl.* 3. p. 53.

ICON. VAHL. *Symb.* 2. t. 31.

In sylvis umbrosis plantationis *Hamburg.*

Arbor. Floret Aprili — Junio.

Ad descriptiones Cel. SWARTZII *Ind. occid.* 1. p. 510 et VAHLII *Symb.* 2. p. 43 haec: Folia alterna, approximata, racemis proxima divergentia, inferiora divaricata, pollices $2\frac{1}{2}$ longa, lineas 12 — 14 lata, utrinque nitidissima, ad venas imprimis subtus pilis rigidiusculis adspersa. Calyx externe hirsutus. Corolla alba. Filamenta nunc 5 nunc 6, anulo germen cingenti inserta, corolla triplo longiora, superne spiraliter involuta, minime inferne hirsuta, ut vult Cel. SWARTZIUS sed glaberrima, purpurea. Antherae subrotundae, fuscae. Stylus subulatus, longitudine staminum, basi hirsutus, purpureus. Stigma simplex, punctum profundius coloratum referens. Fructus drupa — nec bacca — rubra, glabra — nec hirta, ut habet SWARTZIUS — Semen 1 ovale.

Omnes flores nostri speciminis optime conservatis, quorum magnum numerum examinavimus, filamentis 6 gaudent, speciminis herbarii VAHLII autem, quod coram habemus, filamentis constanter 5! Ceterum VAHLII stirps exacte eadem est, quae nostra. — Subtilitatem Cel. SWARTZII in

plantis describendis omnibus botanicis laudatam minime ignorantes, vix credere possumus, SWARTZII plantam eandem quam VAHLII esse. — Caeterum minus apte haec stirps *Hirtella paniculata* dicta est, nam nil commune cum panicula inflorescentiae est.

VIOLA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1364. JUSS. Gen. p. 294. GAERTN. Fruct. 2. p. 139, t. 112.

Cal. 5-phyllus. Cor. 5-petala, irregularis, postice cornuta vel ealcarata. Antherae cohaerentes. Caps. supera, 3-valvis, 1-locularis.

† Floribus erectis, nec resupinatis.

1. VIOLA AUBLETII. nob.

V. caule fruticoso scandente, foliis alternis oblongo-ovatis serratis, floribus racemoso-fasciculatis.

V. (*Hybanthus*) arborescens, scandens; foliis oblongis obtusis glabris. AUBL. *Guj. 2. p. 311 (exclus. synonym.)*

ICON. AUBL. *Guj. 2. t. 319.*

Scandit in arboribus plantationis *Hamburg.*

Frutex. Floret Majo, Augusto et Decembri.

Descript. Frutex scandens, ramosus, cortice cinereo, rugoso, albo-punctato vestitus. Rami volubiles, glabri, apicem versus pubescentes. Folia alterna, firma, oblongo-ovata, in apicem subcurvatum acuminata, pollices 2 longa, 1 lata, argute serrata, glabra, nitida. Petioli breves, canaliculati, rugulosi, in foliis recentibus pubescentes, in adultis glabri. Stipulae parvae, ovato-oblongae, acutae, deciduae. Pedunculi axillares subracemosi vel solitarii, bipollicares, filiformes, flexuosi, supra medium articulati et bracteolis duabus oppositis caducis ornati, basi insuper bracteis nonnullis minutis nec minus caducis suffulti. Flo-

res pollicares, albi in pallide flavum vergentes. Calycis foliola elliptico-oblonga, margine membranacea, alba. Corollae petalum superius erectum, cordato-ovatum, acuminatum, cucullatum, postice in cornu longum leviter curvatum, medio paulo coarctatum, succum viscidum secernens elongatum: petala lateralia erecto-patentia, oblongo-subrhomboidea, apice crispato-erosa et ciliata, basi in unguem brevissimum attenuata; reliqua dua petalo maximo opposita, lateralibus triplo minora, obovata, concava, basi in dorso callosa, genitalibus inferne affixa. Filamenta membranacea, compressa, brevissima. Antherae sagittatae, membranis totidem oblongis superne in apendicem ligularem luteam productis longitudinaliter adnatae, et per membranarum margines leviter in tubum connatae. Ovarium trigonum, trifurcatum. Stylus staminibus longior adscendens, clavatus, compressiusculus, albus. Stigma foramen minutum in apice styli. Capsula ovata.

Observ. Sub *Viola Hybantho* WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 1172 quatuor stirpes tantum inter se diversae conjunguntur, ut sane maximam in synonymia hujus speciei admissam negligentiam mirari debeamus; eo magis cum duae plantarum huc pro synonymis allatarum iconibus jam illustratae sint. Cel. WILLDENOWIUS nempe citat LOEFL. *Iter.* 282* 185. n. 3. AUBL. *Guj.* 2. p. 811. t. 319. et JACQ. *Amer.* 77. t. 175. f. 24. 25. — AUBLETII planta est nostra: quantum autem LOEFLINGII planta et JACQUINI ab illa differunt paucis indicabimus. Pro LOEFLINGII *Viola Hybantho* stirpes duae diversae a LINNAEO et auctoribus posterioribus citantur; nempe LOEFL. *It. hisp.* p. 282 *Viola arborescens sive frutescens americana foliis oblongis, obtusis, glabris*, et ibi p. 185 *Calceolaria frutescens*. Illa ab AUBLETII planta differt: calycis foliolis linearibus, corolla ecalcarata, petalis superioribus linearibus lanceolatis, et stylo filiformi; haec autem: foliis obtusis integerrimis, pedunculis simplicibus, floribus fere duplo minoribus, cornu subulato oblique contorto, antheris subrotundis, stylo filiformi convolutato, capsulaque globosa. Videtur LINNAEUS *Violam arborescentem* p. 282 et *Calceolariam frutescentem* p. 185 pro una specie habuisse, quoniam in LOEFLINGII opere huic posteriori in parentesi

nomen violae Hybanthi addidit et utramque ad V. Hybanthum citat. Sed descriptio ambarum stirpium omnino demonstrat plantas diversas esse. — JACQUINI Viola Hybantha tandem tam ab AUBLETII quam ab utraque LOEFLINGII stirpe valde diversa est; caule erecto, aculeato, foliis lineari-oblongis emarginatis, basi cuneatis, floribus ecalcaratis, minutis, de quibus JACQUINUS dixit "exigui vix oculis nudis examinandi, unde ad quadruplum auctum florem exhibui!" Videmus igitur in Viola Hybantho WILLD. stirpes quatuor diversas sub una nomine conjunctas!

HELICONIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 403. JUSS. Gen. p. 61. GAERT. Fruct. 2. p. 270. t. 139.

Spatha universalis partialesque. Cor. 2-partita: labio inferiore simplici, canaliculato; superiore trifido, lobis 2 lateralibus angustis, superiori dorso impositis. Stam. 6, quorum 1 abortivum. Capsula 3-quetra, 3-ocularis, oculis 1-spermis.

1. HELICONIA psittacorum.

H. foliis basi rotundatis glaberrimis, spadice caulino, nectario lanceolato. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1188. RODSCH. *Observ.* p. 62.

ICON. REDOUT. *Liliac. t.* 151.

In sylvis humidis umbrosis.

Perennis. Floret per totum annum.

Spathae croceae, per fructuum maturitatem rubrae. Flores crocei, apice viride maculati.

Observ. Differentia inter LINNAEI fil. descriptionem et SWARTZII, quare WILLDENOWIUS SWARTZII stirpem pro alia planta habet, ex solo diverso florum intuitu orta est.

CELOSIA. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 495. JUSS. Gen. p. 88. GAERTN. Fruct. 2.
p. 215. t. 128.*

Cal. 5-phyllus 5-bracteatus. Stam. basi in urceolum plicatum conjuncta. Caps. circumscissa, 1-locularis, oligosperma.

1. CELOSIA nodiflora.

C. foliis oblongis utrinque acuminatis pubescentibus; spicis globosis subsessilibus lateralibus terminalibusque.

C. nodiflora, foliis cuneiformibus acutiusculis, spicis globosis lateralibus. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1202.

ICON. JACQ. *Hort. Vindeb.* 1. t. 98.

BURRM. *Zeyl.* t. 5. f. 2.

In arenosis insulae *Wacanama.*

Annua. Floret Novembri.

Folia Ill. JACQUINUS in planta culta glabra observavit, in spontaneo specimine nostro pubescentia sunt. Antherae nobis non purpurascetes sed luteae.

ALTERNANTHERA. FORSK.

FORSK. *Fl. Aegypt. Arab. Descript.* p. 28.

Cal. 5-phyllus 3-bracteatus. Stam. 5 alternatim castrata cum vel absque squamulis totidem interjectis. Utriculus 1-spermus.

1. ALTERNANTHERA polygonoïdes.

A. caulibus repentibus subvillosis, foliis obovatis, capitulis subrotundis glabris, squamis staminibus interjectis nullis.

Illecebrum polygonoides, caulibus repentibus hirtis, foliis lato-lanceolatis petiolatis, capitulis orbiculatis nudis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1208.

ICON. SLOAN. *Hist. t.* 86. f. 2.

In cultis insulae Arowabisch.

Perennis. Floret Septembri, Octobri.

Bracteae subvirides. Calyx albus. Antherae luteae.

Observ. Genera *Illecebrum* et *Achyranthes* eorum numero sunt, quae hucusque in nostris *Specierum plantarum* editionibus maxima incuria tractata. Quamquam non illud spectamus, ut laudata genera hic fusius exploremus, quam ad rem omnium specierum, quarum nobis plures etiamnum desunt, subtilis disquisitio opus sit, tamen characteres principales generum in quae *Achyranthes* et *Illecebrum* dispesci debeant, paucis hic explorare placet. Sunt nempe:

1. *Desmocheta*. DECANDE. *Cat. pl. hort. Monsp.* p. 102. — Flores plures (3—5) cum fasciculis duobus setarum uncinatarum in involu-
crum collecti. Stam. 5 in urceolum connata. Utriculus 1-spermus.
Pupaliae JUSS. *Annal. Mus.* 2. p. 132 species. — Hujus loci sunt:
Achyranthes lappacea. LINN. *A. echinata*. RETZ. *A. purpurea*. LAM. *A. patula*. LINN. *Suppl.* etc.
2. *Achyranthes*. — Cal. 5-rarius 4-partitus, 3-bracteatus. Stam. 5 cum
totidem squamis fimbriatis alternantia. Stigm. subcapitatum. Utricu-
lus 1-spermus. — Huc pertinent v. c. *Achyranthes argentea*.
A. aspera. *A. porrigens*. JACQ. Genus *Nyssanthes*. R. BROWN.
Prod. p. 418.
3. *Aerua*. FORSK. *Aegypt. arab. Descript.* p. 170. Cal. 5-phyllus,
2—3-bracteatus. Stam. 10 alternatim castrata, basi in urceolum con-
nata. Stigmata setacea. Utriusculus 1-spermus. — *Illecebrum*
javanicum WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1205.
4. *Alternanthera* (Conf. supra.) — *Illecebrum ficoideum*. WILLD.
Sp. pl. 1. p. 1208.

5. *Mollia*. WILLD. *Hort. berlin.* 1. p. 11.
6. *Illecebrum*. LINN. Cal. 5-phyllus 3-bracteatus. Stam. 5 basi in urceolum connata. Capsula 1-locularis, 5-valvis, 1-sperma. — Huc solum fere *Illecebrum verticillatum* et *I. cymosum* pertinent. Plurimae *Illeceabri* species ob fructum utricularem huic generi alienissimae et ad genus *Herniariam* rejiciendae sunt.
7. *Digera*. FORSK. *l. c.* p. 65. Cal. 5-phyllus 3-bracteatus. Stam. 5 basi leviter connata. Nux globosa apice 2-dentata, 1-sperma. — *Achyranthes polygonoides*. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1195.

GARDENIA. THUNB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 416. JUSS. *Gen.* p. 201. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 140. t. 28. 2. p. 480. t. 177.

Cor. infundibuliformis. Antherae sessiles, in fauce corollae. Stigma bilamellatum. Bacca infera 2 (1—4) locularis, polysperma.

† Inermes.

1. GARDENIA florida.

G. foliis ovalibus basi attenuatis, calycis laciniis lanceolato-subulatis, corollae lobis subrotundo-ovatis.

G. florida, inermis, foliis ellipticis, corollis hypocrateriformibus, calycis laciniis verticalibus, lanceolato-subulatis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1225.

ICON. MILL. *Icon.* t. 180.

RUMPH. *Amboin.* 7. t. 14. f. 2.

An forsitan culta?

Frutex. Floret ...

2. GARDENIA Mussaenda.

G. foliis ovatis basi attenuatis, stipulis aggregatis mucronatis, corollae tubo basi subincurvo hirta.

G. *Mussaenda*, inermis, foliis ovatis acutis, stipulis mucronatis, laciniis calycinis subulatis compressis, tubo incurvato hirto. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1227.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 48, *edit. pict. t.* 70.

In sylvaticis.

Frutex. Floret Septembri, Octobri.

Folia in icone allegata oblonga, oblongo-lanceolata, summa lanceolata. In nostro specimine omnia duplo, et quod excurrit, breviora, ovata, acuta, basi attenuata, 10—14 lineas longa, 6—7 lata. Flores minores quam in icone JACQUINI, $2\frac{1}{2}$ pollices longi. Antherae oblongae, in fauce sessiles et superiori parte tantum exsertae. Stylus tubum paululum superans, glaber, infra stigma parum incrassatus et ibi villosus. Stigma bipartitum, lobis crassiusculis, oblongis, subacutis, glabris.

Incolae hanc plantam *Akascha* vel *Jakiapel* i. e. simiarum poma dicunt.

ALLAMANDA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 418. JUSS. *Gen. p.* 148. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 293. t. 61.

Caps. lentiformis, erecta, echinata, 1-ocularis, 2-valvis, polysperma.

1. ALLAMANDA cathartica.

A. *cathartica*. WILLD. *Sp. plant.* 1. p. 1231. RODSCH. *Observ.* p. 24.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 106.

PLUM. *Spec.* t. 29.

Scandit in arboribus altissimis et repet in arena insulae *Arwabisch*.

Frutex. Floret per totum annum.

Caulis fuscus. Folia interdum quina. Stigma capitatum, medio coarctatum, superne et inferne margine membranaceo auctum.

VINCA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 419. JUSS. Gen. p. 144. GAERTN. Fruct. 2. p. 172. t. 117.

Cal. 5-partitus. Cor. hypocrateriformis, limbo 5-partito. Stamina inclusa. Folliculi 2 erecti. Semina nuda.

1. VINCA rosea.

V. caule suffruticoso erecto, floribus geminis sessilibus foliis obovato-oblongis.

V. rosea, caule suffruticante erecto, floribus geminis sessilibus, foliis ovato-oblongis, petiolis basi bidentatis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1233.

ICON. CURT. *Bot. mag.* t. 248.

MILL. *Icon.* t. 186.

In arena plantationis *Hamburg.*

Frutex. Floret per integrum annum.

Stipulae minutae ad basin petiolorum, dentes minime apte dictae, haud rare desunt.

Flores gallici apud nos haec planta dicitur. RODSCH.

PLUMERIA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 422. JUSS. Gen. p. 145. LAM. Illust. t. 173.

Cal. 5-partitus. Cor. subinfundibuliformis, limbo 5-partito, laciniis obliquis. Folliculi 2 retroflexi. Semina membrana aucta, cujus basi inserta.

1. PLUMERIA rubra.

P. foliis ovato-oblongis, petiolis biglandulosis. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1242. RODSCH. *Observ.* p. 79.

ICON. TREW. EHRET. t. 41.

SLOAN. *Hist.* 2. t. 185. f. 1. et 186. f. 1.

In sylvis.

Arbor. Floret ...

ECHITES. JACQ. ref. R. BROWN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 421. JUSS. Gen. p. 146. R. BROWN. Vern.

Mem. I. p. 59. LAM. Illust. t. 174.

Cor. hypocrateriformis, fauce tuboque esquamatis, limbi laciniis inaequilateris. Stamina inclusa. Antherae medio cum stigmatibus cohaerentes. Ovaria 2, squamis 5 cincta. Folliculi 2 distincti.

I. ECHITES grandiflora. nob.

E. floribus corymbosis, corollae tubo quinquangulari, foliis obovatis basi attenuatis glaberrimis; caule volubili.

Scandit in arboribus insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret Decembri.

Descript. Caulis scandens, volubilis, teres, glaber, nitidus. Folia opposita, obovata, basi breviter attenuata, semipedalia; 4—5 uncias lata, integerrima, costato-venosa, et venis obliquis transversalibus eleganter lineata, glaberrima, nitida. Petioli pollicares, cum pedunculis pedicellisque glabris. Corymbi foliis breviores, ramosi, multiflori. Pedicelli sparsi, basi bracteis 3 ovatis suffulti, uniflori. Flores magni et luteo rubri. Calyx profunde 5-partitus, laciniis subrotundo-ovatis, tribus majoribus. Corolla tripollicaris, tubo cylindrico, basi ventricoso, obsolete 5 angulari; limbo 5-partito, patente; laciniis oblongis, obtusis. Stamina ventris superiori parti inserta. Filamenta brevissima, interne canaliculata, cum antheris in conum stylum includentem conniventia, sagittata, basi externe glabra, superne una cum basi interna et marginibus laciniarum supra basin adnatarum tomentosa, medio linea elevata notata. Antherae lineari-lanceolatae, acuminatae, filamentis interne longitudinaliter adnatae. Ovaria 2 ovata, squamis 5 crassis compressis, dentatis, basi cohaerentibus cincta. Stylus filamentis bre-

vior, basi bipartitus. Stigma angulatum, apiculatum, inferne apophysii umbraculiformi auctum.

2. ECHITES symphitocarpa. nob.

E. floribus racemosis; foliis elliptico-ovalibus subsagittatis subtus tomentosis, fructibus apice connatis; caule volubili.

In nemorosis arenosis insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret a Decembre ad Majum.

Descript. Caulis volubilis, glaber, nitidus, sanguineus, tuberculis albis. Ramuli scabriusculi, rufescentes. Folia opposita, divergentia vel divaricata, elliptico-ovalia, obtusa, brevissime sagittata, sinu acuto, juniora basi integra, acuta vel acuminata, omnia supra scabriuscula, subtus reticulato-venosa et tomentosa. Petioli semipollicares curvati. Cirrhus simplex unus alterve ex axillis foliorum. Racemi oppositifolii, simplicissimi, 2-pollicares, cum pedicellis calycibusque leviter pubescentes. Calyx 5-fidus, laciniis subulato-acuminatis. Corolla 2-pollicaris, glabra, flava, interne e luteo rubroque variegata: tubus cylindraceus supra basin subventricosus, interne a filamentorum insertione usque ad faucem, cui antherae inmissae, strigis sericeis albis reversis vestitus; faux campanulata; limbi lacinae acuminatae. Filamenta tubo supra basin inserta, compressa, apice subincrassata et oblique rotundata, interne strigosa. Antherae erectae, subsagittatae, apice fissae, semibiloculares. Ovaria ovata, squamis crassis basi connatis cincta. Stylus longitudine filamentorum. Stigma globoso-capitatum, subbilobum. Folliculi 5-pollicares, lineas 3 lati, torulosi, apicibus incurvatis conjuncti.

Observ. Seminarum naturam, quia adhuc immatura erant, investigare non potuimus. Forsitan genus proprium constitit haec stirps. Conjunctio folliculorum eadem est, quae in Nereo antidysenterico, sed sine acumine terminante.

3. ECHITES biflora.

E. pedunculis bifloris, corollae tubo angustato, foliis oblongis obtusis mucronatis glaberrimis; caule scandente.

E. biflora, pedunculis bifloris. WILLD. Sp. pl. 1. p. 1237.

ICON. JACQ. *Amer. t. 21. ed. pict. t. 28.*

PLUM. *Amer. t. 96.*

In inundatis copiosissime.

Frutex. Floret per totum annum.

Descriptioni Ill. JACQUINI *Amer. p. 38* solummodo addo, quod lata planta glaberrima est.

FORSTERONIA. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cor. infundibuliformis, fauce tuboque esquamatis, limbi laciniis aequilateris retroflexis. Antherae cum stigmate in conum exsertum cohaerentes. Ovaria 2 squamis 5 cincta. Folliculi 2 distincti.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium 5-partitum, laciniis ovatis, acutis, concavis.

Cor. infundibuliformis. Faux tubusque esquamati. Limbus 5-partitus, retroflexus, laciniis aequilateris.

Stam. exserta. Filamenta 5 filiformia tubo ad basin inserta. Antherae oblongae basi ovatae vel sagittatae, cum stigmate in conum exsertum cohaerentes, lobis postice polline destitutis.

Pistil. Ovaria 2 ovata, unilocularia. Stylus 1 filiformis. Stigma dilatatum, acutum.

Squamae 5 hypogynae glanduliformes, basi liberae vel connatae.

Pericarp. Folliculi 2 distincti.

Sem. plurima, carnosae.

HABITUS.

Frutices volubiles, scandentes. Folia opposita, venosa vel costata. Flores corymbosi vel racemosi. Calyces ut plurimum colorati. Flores parvi. Folliculi longi, divergentes.

AFFINITAS.

Forsteroniae affinitate proxima sunt genera *Parsonsia* R. BROWN. *Mem. of the Werner. Soc.* 1. p. 64 et *Echites* JACQ. *ref.* R. BROWN. *l.c.* p. 59. Differunt: *Parsonsia*, ovario unico, folliculis longitudinaliter connatis: *Echites*, corolla hypocrateriformi, limbi laciniis patentibus, inaequilateris, staminibusque inclusis.

ETYMOLOGIA.

Genus dicatum Clarissimo FORLY FORSTER, Anglo, *Florae Thunbridgensis* auctori, tum hoc opere, quam pluribus commentationibus in libris SOCIETATIS LINNAEANAЕ divulgatis de re botanica optime meritis. Divitias herbarii SUI, quod ex amplissimis et celebratissimis, cuique collectiones plantarum praetiosissimi v. c. ELLISII insunt, liberaliter ad botanices studium fovendum et excolendum cum aliis communicat. — Cum jam genus *Forsterae* adest, nostro — licet non sine aliqua derivationis regularum offensione fiat — ad analogiam *Brononiae* a Cel. SMITHIO conditae, in qua quidem similis difficultas aderat, nomen *Forsteroniae* imposuimus.

1. FORSTERONIA corymbosa.

F. racemis corymbosis terminalibus, foliis ovalibus venosis.
Parsonsia corymbosa. R. BROWN. *Mem. Wern. Soc.* 1. p. 65 (in observatione).

Echites corymbosa, racemis corymbosis, staminibus eminentibus, foliis lanceolato-ovalibus. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1240.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 38. *edit. pict. t.* 37.

In sylvis continentis.

Frutex. Floret Septembri — Novembri.

2. FORSTERONIA spicata.

F. racemis densifloris axillaribus, foliis ovato-oblongis acuminatis venosis:

Parsonsia spicata. R. BROWN. *l. c.*

Echites spicata, spicis axillaribus brevibus, staminibus eminentibus, foliis subovatis. WILLD. *Sp. pl. 1. p. 1240.*

In sylvaticis insulae *Arowabisch* rarius.

Frutex. Floret Junio — Augusto.

Observ. Tertia hucusque cognita hujus generis species, omnes in America meridionali degentes, *Echites floribunda* auctoritate Cel. R. BROWN. est.

TABERNAEMONTANA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 424. JUSS. Gen. p. 145. LAM. Illust. t. 170.

Cal. 5-fidus. Cor. hypocrateriformis, limbo 5-partito. Stamina inclusa. Ovaria 2. Folliculi 2. Semina pulpa immersa.

1. TABERNAEMONTANA undulata.

T. floribus terminalibus, squamis germen ambientibus nullis, foliis oppositis oblongis in acumen linearem obtusum productis.

T. undulata, foliis lanceolato-ellipticis acuminatis undulatis, ramis dichotomis, floribus subcymosis, folliculis laevibus. VAHL. *Eclog. 2. p. 20?*

In continenti.

Frutex (Arbor?) Floret ...

Descript. Rami leviter flexuosi, subteretes, cortice rimuloso brunnescenti-cano vestiti; ramuli alterni, subcompressi. Folia opposita, firma, oblonga, acumine lineari apice obtuso et leviter curvato terminata, basi in petiolum attenuata, pollices 3 longa, 1 lata, alterum altero opposito semper paulo minus, integerrima, venosa, utrinque glabra. Petioli breves

canaliculati, basi per paria connati. Flores terminales, 2—4, brevissime pedunculati, bractea ovata, obtusa, concava stipati. Calycis lacinae inaequales, obtusae. Corolla pollicaris: tubus cylindraceus basi et ad staminum insertionem paululum ventricosus, limbus 5-fidus, laciniis obliquis, horizontalibus, lineari-oblongis, obtusis. Faux pubescens. Filamenta tubo supra medium inserta, brevissima. Antherae sagittatae, fauce reconditae. Ovaria conica. Squamae hypogynae nullae. Stylus staminibus paulo brevior. Stigma basi membranula reflexa cinctum.

Tabernaemontana undulata VAHLII a nostra foliis insigniter undulatis, acumine brevioribus terminatis, calycis laciniis aequalibus, fauce corollae glabra differt. In omnibus reliquis descriptio et icon in nostram stirpem optime quadrant.

PENTACEROS. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. 5-partitus. Cor. o. Corona subinfundibuliformis germen includens, limbi 5-partiti laciniis cornicula totidem emittentibus. Filamenta o. Antherae coronae externe adnatae.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium 5-partitum, patens, laciniis ovatis acuminatis, nervoso-venosis, interne coloratis.

Cor. o.

Corona subinfundibuliformis, germen stylumque ambiens. Tubus brevis. Limbus planus, 5-partitus, laciniis apice dilatatis, retusis, plicatis, corniculum clavaeforme acuminatum emittentibus.

Stam. Filamenta o. Antherae 5 subrotundae, apice coronae laciniis infra corniculum basique tubi inferiori parti externe adnatae.

Pist. Ovarium subglobosum, 5-sulcatum glanduloso-punctatum. Stylus subulatus, oronam non superans. Stigma subcapitatum.

Pericarp. }
Sem. } ignota.

HABITUS.

Frutex scandens, aculeatus. Folia alterna, glandula mellifera in costa notata. Flores minuti, in umbellulis axillaribus conglomerati.

AFFINITAS.

Genera nostro forte affinia sunt *Samyda*, *Aquilaria* et *Caesaria*; sed differunt: *Samyda* corona conica vel campanulata, limbo erecto antherifero; — *Aquilaria* staminibus cum coronae laciniis alternantibus, stylo nullo; — *Caesaria* coronae 5-phyllae foliolis cum staminibus alternantibus: omnia tandem staminum numero, antherisque liberis. Si systema naturale spectas *Pentaceros Apocyneis* affinis sed nulli earum generi associandus est.

ETYMOLOGIA.

Nomen derivavimus a πέντε-quinque, et κέρας-cornu.

1. PENTACEROS aculeatus. nob.

In sepibus humidis plantationis *Königsberg*.

Frutex. Floret Decembri.

Descript. Frutex scandens. Rami obtusanguli, aculeati, subtomentosi, fragiles. Aculei sparsi, compressi, hamato-recurvati, subpubescentes, flavi. Folia alterna, divergentia, brevissime petiolata, ovato-oblonga, acuminata, pollices 3 circiter longa, 1 — 1¼ lata, subserrulata, venosa, supra setulis minutis adpressis flavis adpersa, subtus tenuiter tomentosa, et basi glandulis 3 instructa, quarum intermedia, poro mellifero pertusa, in costa principali, reliquae in venis duabus lateralibus e basi fere orientibus collocatae. Petioli 2 — 3 lineas longi, tomentosi. Flores in umbellis axillaribus subgeminis conglomerati, minuti. Umbellae parvae, brevissime pedunculatae, pauciflorae, bracteis nonnullis stipatae. Pedicelli subtriflori. Calyx 5-partitus patens, laciniis membranaceis, subdiaphanis, oblongo-ovatis, acuminatis, nervoso-venosis, externe pilosis viridibus, interne glabris brunneis. Corona parva, rubro-brunnea tubo brevissimo, limbo tubo paulo longiore, plano, 5-partito, laciniis apice dilatatis, truncatis, plicatis, utroque latere denticulo obtuso, medio

autem corniculo adscendente laciniis duplo longiore subpubescente desinentibus. Antherae albae, superiori parte coronae laciniis infra conniculum adnatae, basi cum tubi basi cohaerentes, ceterum liberae. Ovarium subglobosum, 5-sulcatum, punctis glandulaeformibus minutis dense adpersum. Stylus brevissimus. Stigma subcapitatum. Fructus desideratur.

II. DIGYNIA.

ASCLEPIAS. TOURNEF. ref. R. BROWN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 429. JUSS. Gen. p. 147. R. BROWN. Vern. Soc. Mem. I. p. 36. LAM. Illust. t. 175.

Cor. reflexa. Corona staminea simplex, 5-phylla, foliolis cucullatis lacinulam corniformem e fundo exserentibus. Massae pollinis 10 pendulae. Folliculi laeves. Sem. comosa.

1. ASCLEPIAS curassavica.

A. foliis lanceolatis utrinque acuminatis glabris, umbellis erectis solitariis lateribus.

A. curassavica, foliis lanceolatis, petiolatis glabris nitidis caule simplici, umbellis erectis solitariis, lateralibus. WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 1266. RODSCH. *Observ.* p. 53.

ICON. DILL. *Elth.* t. 30. f. 53.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 129.

In ruderatis et graminosis copiosissime.

Suffrutex. Floret per totum annum.

Incolae hanc plantam Ipecacuanham dicunt et pro vomitorio adhibent. RODSCH.

SARCOSTEMMA. R. BROWN.

Wern. Soc. Mem. I. p. 50.

Cor. rotata. Corona staminea duplex: exterior cyathiformis vel annularis; interior exteriorem superans. Massae pollinis 10 laeves, pendulae. Folliculi laeves. Sem. comosa.

SARCOSTEMMA BROWNI. nob.

S. caule volubili folioso, foliis oblongo-lanceolatis acuminatis glabris, umbellis axillaribus pedunculatis.

Asclepias viminalis caule suffrutescente volubili filiformi, foliis oppositis lanceolatis glabris, umbellis lateralibus multifloris. *WILLD. Sp. pl. 1. p. 1270?*

Cynanchum clausum *JACQ. Amer. p. 87.*

ICON. JACQ. Amer. t. 60. fig. 2. edit. pict. t. 87.

PLUM. Icon. t. 27. f. 2?

In sepibus insulae *Arowabisch.*

Frutex? Floret ab Octobre ad Aprilem usque.

Descript. Caulis volubilis, ramosus, teres, laevis, inferne glaber, superne inprimis in axillis tenuiter pubescens. Rami axillares, recti. Folia opposita, breviter petiolata, patenti-divergentia, inferiora ovato-oblonga, superiora sensim duplo terque angustiora, oblonga-lanceolata, omnia in apicem cuspidatum acuminata, integerrima, margine paulo revoluta, glaberrima, costa alba venisque viridi-coerulescentibus picta. Petioli pubescentes. Stipulae minutae, membranaceae, subrotundo-ovatae, pubescentes vel glabriusculae, dilute brunneae. Umbellae pedunculatae, 10 — 12-florae. Pedunculi axillares, foliis bi-terque longiores, crassi. Pedicelli unciales, una cum calyce corollaque dense pubescentes, uniflori, basi bracteis minutis, linearibus, villosis stipati. Flores linearum 5 — 6 diametri, albi. Calyx minutus, 5-partitus, laciniis acutis. Corolla rotata, laciniis patentibus ovatis, obtusiusculis, concavis, interne glabris. Corona exterior margo lineam latus, integerrimus; interior

5-phylla, foliis filamentorum tubum pentagonum paulo superantibus, ovatis, obtusiusculis, glaberrimis. Massae pollinis in pedicellis brevibus, e globulo nigricante ortis, oblongae, pendulae, paululum curvatae. Styli exserti, breves, crassiusculi. Stigmata minuta, obtusa. Fructum non vidimus.

Clarissimo ROB. BROWNEO hanc speciem dicavimus, qui, ut solet, Asclepiadearum magnam et difficillimam familiam acerrima subtilitate disquisivit, maximoque ingenio in genera distribuit.

Observ. 1. An *Asclepias viminalis* SW. *Ind. occid.* 1. p. 539. eadem planta sit, dubium relinquimus: certe ei maxime affinis. Etiam si recte opinati essemus, tamen nomen triviale mutari debet, quia jam *Sarcostemma viminalis* adest. Descriptio Cel. SWARTZII l. c. non semper cum nostra planta convenire videtur, quia caulem glabrum, corollae laciniacutae, stylos intra corpus cylindricum indicat, et involucellum nullum suae stirpi attribuit. Huc accedit, quod in icone SLOANII *Hist.* 1. t. 131. f. 1. SWARTZIO citata, folia duo ad umbellae basin adstant, nec non bractee duae oppositae infra singulos flores. Neque illa neque hae in nostra planta, quarum plura specimina coram habemus, adsunt. Cl. SWARTZ. utriusque in descriptione mentionem non facit. Folia in icone laudata fere obtusa sunt, in SW. descriptione acuta nominantur et in nostra planta in cuspidem acuminata sunt. — Icon PLUMIRI l. c. non male in nostram stirpem quadrat, sed pedunculi nimis longi delineati sunt. — *Cynanchum clausum* JACQ. l. c. tam quoad descriptionem quam ad iconem editionis pictae bonam cum nostra planta convenit, pedunculi solummodo paulo breviores delineati sunt.

Observ. 2. *Cynanchum altissimum* JACQ. *Am.* p. 84. t. 57. edit. pict. t. 83. — *C. longiflorum* *EjUSD.* p. 85. t. 59. edit. pict. t. 85. — *C. filiforme* *EjUSD.* p. 86. t. 60. edit. pict. t. 86. — *C. clausum* *EjUSD. sup. cit.* fusius descripta et optime delineata neque in WILD. *Specieb. plant.* nec in *Personii Synops.* enumerata sunt. — *C. longiflorum* certe non ad hoc genus pertinet.

CYNANCHUM. LINN. ref. R. BROWN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 130. JUSS. Gen. p. 147. R. BROWN. Wern. Soc. Mem. I. p. 43. GAERTN. Fruct. 2. p. 171. t. 117.

Cor. subrotata. Corona staminea simplex 5-20-loba. Massae pollinis 10 laeves, pendulae. Folliculi laeves. Sem. comosa.

1. CYNANCHUM viridiflorum. nob.

C. umbellis foliis brevioribus paucifloris, foliis cordato-ovatis ovatisve acuminatis glabris; caule volubili.

Scandens in fruticetis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret Aprili et Augusto.

Descript. Caules longi, volubiles, flexuosi, teretes, tenuissime pubescentes, adulti glabri. Folia opposita, petiolata, divergentia, ovata, basi subcordata, sinu rotundato, lobisque angustis, acuminata, pollices 3 longa, $1\frac{1}{2}$ lata, juniora angustiora basique integra; omnia integerrima, utrinque glabra, supra saturate viridia, subtus reticulato-venosa, pallidiora. Petioli tripollicares, puberuli. Umbellae axillares, longitudine petiolorum, pedunculati, 4 — 6 flori. Pedicelli vix pedunculo longiores, uniflori. Flores pollicis diametri. Calyx 5-partitus, laciniis lanceolatis, corolla duplo brevioribus, viridi-flavescentibus. Corollae tubus brevissimus, limbus planus, 5-partitus, laciniis oblongis acutis lutescenti-viridibus, venis reticulatis, margine tenuissimo albido cinctis. Corona staminea orbicularis obsolete 5-loba, superne plana, albo-marginata. Pollinis massae luteae.

Floris structurae internae justam descriptionem ob specimina nimis compressa exhibere non valuimus. — Affinis est nostro C. planiflorum JACQ. sed differt foliis subtus pubescentibus, floribus racemosis, calyce corolla longiore.

ERYNGIUM. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 456. JUSS. Gen. p. 226. GAERTN. Fruct. 1.
p. 77. t. 20.*

Flores capitati in receptaculo communi paleaceo. Involu-
crum polyphyllum. Fructus coronatus, bipartibilis.

1. ERYNGIUM foetidum.

E. caule dichotomo, foliis spinuloso-serratis, radicalibus
oblongo-cuneatis caulinis profunde multifidis.

E. foetidum, foliis radicalibus lanceolatis serratis, floralibus multifidis;
caule dichotomo. WILD. *Sp. pl.* 1. p. 1356.

ICON. HERM. *Lugdunob.* t. 237.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 156. f. 3. 4.

In arenosis.

Perennis. Floret. . .

VI. HEXANDRIA.

I. MONOGYNIA.

BROMELIA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 540. JUSS. Gen. p. 50. GAERT. Fruct. I. p. 30. t. II.

Cal. 3-fidus, superus. Petala 3. Squamae vel ciliarum fasciculi totidem ad basin petalorum. Bacca trilocularis.

1. BROMELIA Ananas.

B. floribus spicato-capitatis coma terminatis, bracteolis ovatis acuminatis, foliis lanceolatis spinoso-serratis.

B. Ananas, foliis ciliato-spinosis mucronatis, spica comosa. WILD. *Sp. pl. 2. p. 7.* RODSCH. *Observ. p. 37.*

ICON. REDONT. *Liliac. t. 456.*

TREW. EHRET. *t. 2.*

BLACKW. *t. 567.*

Copiosè in arenosis.

Frutex. Floret Decembri.

2. BROMELIA Caratas.

B. floribus acaulibus aggregatis sessilibus ebracteolatis, foliis lineari-lanceolatis spinoso-serratis.

B. Caratas, foliis erectis, floribus acaulibus sessilibus aggregatis. WILD. *Sp. pl. 2. p. 8.*

ICON. REDOUT. *Liliac. t. 457.*

In umbrosis plantationis *Hamburg* et *Sophienburg*.

Frutex. Floret Decembri.

Specimina hujus plantae 24 pedum altitudine vidi. RODSCH.

3. BROMELIA *Mertensii*.

B. racemo spicato praelongo, floribus sessilibus conglomeratis, bracteolis spina terminatis, foliis linguaeformibus spinoso-ciliatis.

Parasitica in arboribus continentis circa *Itebischikreek*.

Frutex. Floret Octobre.

Descript. Planta acaulis, elegantissima. Folia imbricata, basin versus in tubum coalita, erecto-patentia, subcoriacea, linguaeformia, pedes 2 longa, uncias 3 — 4 lata, concava, spinoso-ciliata, spina terminata, lineata, glabra, punctis albidis medio pertusis adspersa. Spinae marginales divergentes, leviter curvatae, compressae, in averso latere concaviusculae, fuscae, nitidae. Scapus erectus 3-vel 4-pedalis, inferne teres, superne obtuse angulatus, villo levi albido adflatus, purpureo-maculatus. Bractee infra racemum 10 — 15 membranaceae, retroflexae, lanceolatae, in apicem pungentem acuminatae, uncias 5 — 6 longae, unciam latae, spinoso-ciliatae, striatae, subvillosae, dilute purpureae. Racemus erectus 2-pedalis, tomentosus. Flores sessiles in racemulis approximatis brevissimis fasciculatim aggregati. Bracteolae singulos flores marginibus amplectentes subrotundae, emarginatae, spina valida oblique curvata terminatae, nervoso-venosae, subvillosae. Calyx tripartitus, glaber, luteus, laciniis oblongis, obtusiusculis, infra apicem spinula recta armatis. Corolla calycem vix superans: petala tenera linearia, apice paulo latiora, concava, glabra, rosea. Squamae oblongae petalis versus basin longitudinaliter adnatae, ad latera tantum liberae. Filamenta corolla breviora, 3 cum petalis alternantia calyci inserta, 3 petalis in squamis adfixa. Antherae oblongae, obtusae, basi sagittatae, albae. Ovarium oblongum, obtusum, obsolete trigonum, glabrum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigmata 3 linearia, obtusiuscula, in cylindrum contorta.

Hanc Bromeliae pulcherrimam speciem in memoriam V. V. Cell. MERTENS, patris et filii, pari inter se caritate conjunctorum, grati animi pignus nominavimus.

4. BROMELIA lutea. nob.

B. racemo nutante laxifloro, floribus solitariis sessilibus, bracteolis ovatis subulato-acuminatis, foliis linguaeformibus spinoso-ciliatis.

Parasitica in arborum ramis.

Frutex. Floret . . .

Descript. Planta acaulis. Radices in arborum ramis repentes, squamis squarrosis, densissime imbricatis, ovatis, fuscis munitae, proles plures emittentes. Folia basi vaginantia, subcoriacea, linguaeformia, $1\frac{1}{2}$ — 2 - pedalia, pollices 3 lata, concava, marginibus spinoso-ciliatis inflexa, lineata, excavato-punctata, glabra. Spinae patenti-divergentes, inferiores divergentes, subcurvatae, compressae, nigrae, nitidae. Scapus adscendens, elongatus, teres, dilute sanguineus et villo sub arachnoideo inprimis in superiori parte vestitus. Bracteae infra racemum plures, sparsae, erectae, membranaceae, lanceolatae, pollices 2 — 3 longae, integerrimae, striatae, roseae. Racemus semipedalis et longior, gracilis, simplicissimus, nutans. Flores sparsi, sessiles, bracteola parva, ovata, subulato-acuminata, carinata, rosea suffulti. Calyx subvillosus, luteus: laciniis oblongis, obtusiusculis, murrone terminatis. Corolla calycem paulo superans: petala lanceolato-linearia, acuta, glabra, lutea, venis purpurascensibus picta, basi alba. Squamarum loco fasciculi 3 supra petalorum basin e villis crispatis albis conflati. Filamentorum insertio qualis in specie antecedente. Antherae filamentis dorso adnatae, lineares, acuminatae, basi sagittatae, flavae. Ovarium obsolete triquetrum, tomentosum. Stylus et stigmata speciei antecedentis.

Differt haec species a *B. nudicauli*, cui affinitate proxima, ex icone et descriptione PLUMIERI *Amer. t. 62*, nec non ex adumbratione in *Encyc. meth. 1. p. 164* data e schedulis PLUMIERI desumpta: radice repente; racemo nutante, floribus bracteolatis, calycibus mucronatis et florum colore.

TILLANDSIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 541. JUSS. *Gen.* p. 50. LAM. *Illust. t.* 224.

Cal. 3-partitus persistens. Cor. 3-partita. Capsula 3-gona, 3-locularis, polysperma. Sem. papposa.

1. TILLANDSIA usneoides.

T. caule flexuoso triangulari, foliis ternis quaternisque, lepidoto-hirtis, floribus terminalibus sessilibus.

T. usneoides, filiformis ramosa intorta scabra. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 15.

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 122. f. 2.

In arboribus parasitica.

Perennis. Floret . . .

2. TILLANDSIA recurvata.

T. caule subramoso, foliis linearibus distichis lepidoto-tomentosis, pedunculis bifloris.

T. recurvata, foliis subulatis scabris reclinatis, culmis unifloris, gluma biflora. WILLD. *Spec. pl.* 2. p. 14.

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. t. 121. f. 1?

In arboribus parasitica.

Perennis. Floret . . .

TRADESCANTIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 543. JUSS. *Gen.* p. 45. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 57. t. 15.

Cal. inferus, profunde tripartitus. Petala 3. Filamenta villis articulatis. Caps. 3-locularis.

1. TRADESCANTIA elongata. nob.

T. caule procumbente radicante, foliis lanceolatis glabris; floribus umbellatis terminalibus axillaribusque.

• In continente.

Annua? Floret . . .

Descript. Tota planta, excepto vaginarum margine, glabra. Radix fibrosa, radicularis tenerrimis pubescens. Caules plures procumbentes et radican-tes, superne adscendentes, 2—3-pedales, geniculati, striati, ramosi. Internodia 2—3 pollicaria, genicula tumidiuscula. Folia alterna, ses-silia, lanceolata, uncias 2—2½ longa, lineas 6—9 lata; floralia minora interdum subovata, nervosa, striata, e saturate viride in purpureum vergentia. Vaginae tumidae, quasi campanulatae, lineas 4—5 longae, ad oras pilosae, nervosae, purpurascens. Flores subumbellati, parvi. Umbellae terminales et axillares, sessiles: radii sesquiunciales filiformes, e bracteis diaphanis oblongis obtusis binerviis enati. Umbellulae radios terminantes bracteolatae, 4—6-florae. Calycis lacinae ovatae, pellucidae, 1-nerves. Petala carnea, venosa. Filamenta villo niveo vestita. Ovarium oblongum. Stylus brevis. Stigma obtusum, emarginatum.

CRINUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 553. JUSS. Gen. p. 54. GAERTN. Fruct. 2. p. 15. t. 83.

Spatha multivalvis. Cor. superne infundibuliformis semi-sexfida, tubo filiformi, limbo recurvato, laciniis angustis canaliculatis. Filamente fauci tubi inserta, discreta. Capsula oligosperma vel 1-sperma.

1. CRINUM erubescens.

C. foliis lanceolatis canaliculatis apice planis cartilagineo-serrato-denticulatis, floribus sessilibus, tubo limbo longiore.

C. erubescens, foliis lanceolatis cartilagineo-crenatis apice producto explanato, tubo limbo longiore. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 46. (exclus. synonym.)*

C. americanum. RODSCH. *Obs.* p. 53.

ICON. REDOUT. *Liliac.* t. 27.

Copiose ad fossas et in locis humidis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret per totum annum.

Descriptioni in HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. pl.* 1. p. 279. addimus e nostris speciminibus.

Radix bulbosa, fibrosa: fibrae fasciculatae, crassae, obtusae, nonnullae reliquis multo longiores perpendiculariterque descendentes. Caudex intermedius circiter 6 pollicaris, subterraneus? foliorum stratis imbricatis tectus. Folia saepe bipedalia. Spatha duplex, albescens: exterior diphylla, reflexa; interior minor, e tot foliolis quot flores composita. Ovarium obsolete triquetrum. Florum tubus triqueter (non cylindricus ut CEL. KUNTH suspicatus est); limbus reflexus, laciniis tripollicaribus linearibus, acutis. Stamina purpurea. Antherae tuteae.

AMARYLLIS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 554. JUSS. *Gen.* p. 55. LAM. *Illustr. t.* 227.

Spatha 1 vel 2-valvis. Cor. hexapetaloida, irregularis. Filamenta fauci tubi inserta, declinata, proportione vel directione inaequalia. Caps. 3-ocularis, polysperma.

† Scapo multifloro.

1. AMARYLLIS Belladonna.

A. scapo compresso, corollae laciniis planis fauce ciliatis, foliis acute canaliculatis obtuse carinatis glabris.

A. Belladonna, corollis erectiusculis hexapetalis laciniis planis, scapo compresso, foliis acute canaliculatis obtuse carinatis glaberrimis. WILLD.

Sp. pl. 2. p. 54.

ICON. REDOUT. *Liliac.* t. 180.

MILL. *Dict.* t. 23.

Copiose in sylvis arenosis plantationis *Altona*.

Perennis. Floret Junio, Julio.

Scapus e latere bulbi oritur.

ACHRAS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 593. JUSS. *Gen. p.* 152. LAM. *Encycl. t.* 255.

Cal. 6-partitus. Cor. monopetala 6-fida, fauce squamis totidem aucta. Pomum 12-loculare. Sem. solitaria hilo marginali, apiceque unguiculato.

1. ACHRAS Sapota.

A. Sapota. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 224. RODSCH. *Observ. p.* 23.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 41. edit. pict. t. 60.

In sylvis.

Arbor. Floret. . .

LORANTHUS. VAILL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 600. JUSS. *Gen. p.* 212. GAERTN. *Fruct. I.*
p. 132. t. 27.

Cal. margo campanulatus subinteger. Cor. 6-(3-7) fida. Stam. petalis inserta. Bacca infera 1-sperma.

1. LORANTHUS aduncus. nob.

L. racemis axillaribus trichotomis simplicibusve, floribus sessilibus, bracteis ovatis; foliis oblongo-subrotundis in apicem aduncum acuminatis.

Parasitica in arboribus.

Frutex. Floret. . .

Descript. Frutex scandens, 3-4 pedalis et altior, radices crassas, obtusas, curvatas per intervalla emittens, teres, nodosus, cortice rimuloso,

glabro, brunneo vestitus. Rami pauci, oppositi, erecto-patentes, breves, angulosi. Folia opposita, subcoriacea, oblongo-subrotunda, in apicem aduncum carinatum acuminata, uncias $2\frac{1}{2}$ longa, $1\frac{1}{2}$ lata, integerrima, venosa, utrinque tuberculata. Petioli lineas 4 longi, angulosi. Racemi axillares, oppositi, supra basin in ramos 3 patentes l. divergentes—quorum intermedius longior—divisi, vel simplices, uncias 3 circiter longi, angulosi, rugosi. Flores in racemis sessiles, nunc sparsi, nunc suboppositi, plerumque 3 vel 6 aggregati, basi bractea persistente subtriangulari concava suffulti. Calyx margo integerrimus. Corolla parva, laciniis brevibus, obtusis. Filamenta corolla breviora. Antherae oblongae.

Flores in nostris speciminibus non omnino explicati erant. — Calycem fructus auctorum bracteam diximus, cum nullum argumentum nobis pateat, quare a termino hanc partem recte designante hocce in genere discedamus.

2. LORANTHUS sessilis.

L. pedunculis axillaribus furcatis, floribus subternis terminalibus sessilibus, bracteis ovatis; foliis ovalibus mucronatis.

Loranthus sessilis racemis simplicibus solitariis, floribus ternis sessilibus. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 236. ?

Parasitica in arboribus insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret. . . .

An nostra planta eadem sit quae Jaquiniana, aut diversa, ob descriptionem nimis brevem in *Hist. Amer.* p. 99. exhibitam determinare non possumus. In nostra planta folia alterna, ovalia basi in petiolum attenuata, mucrone brevi terminata, uncias $1\frac{1}{2}$ longa, lineas 10 — 11 lata. Pedunculi axillares, solitarii, semipollicares, apice bifidi. Flores in utroque ramulo 3 rarius 6, sessiles, parvi. Baccae coccineae.

CLAR. JAQUINUS folia ovata dicit, divisionis pedunculi in ramulos 2 mentionem facit, et baccas — forte inmaaturas — e rubescendi-virescentes nominat.

ISERTIA. SCHREB.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 602. GAERTN. *Fruct.* I. p. 60. t. 191.

Cal. superus 4-dentatus. Cor. infundibuliformis, limbo 6-fido. Stigma capitatum, 6-sulcatum. Bacca hexapyrena. Pyrenae polyspermae.

ISERTIA parviflora.

- I. foliis oblongis acuminatis, inferioribus basi subcordatis; racemo ovato, tubo corollarum limbo duplo longiore.
 I. parviflora, foliis oblongis, inferioribus basi subcordatis, thyrso ovato. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 240.

ICON. VAHL. *Eclog.* 2. t. 15.

In regione rivi *Supanamakreek*.

Frutex. Floret Novembri, Decembri.

Obs. 1. Plantam nostram eandem quam VAHLII esse icon docet, tamen descriptio VAHLII non semper cum nostro specimine convenit. Folia plerumque utrinque glabra interdum subtus subvillosa ei dicta, tomento tenui, densissimo, haud defricando, tecta sunt. Stipula ei bipartita, nobis triquetra, integra, hinc inde apice fissa est. Ovarium ad styli insertionem non glandula glabra convexa coronatum, sed foveola exsculptum. Stigma VAHLIO crassum, altero latere planum subconcauum, altero convexum, cum linea acuta elevata longitudinali; nos autem capitatum observavimus, et profunde 6-sulcatum, quale et AUBLETII stigma alterae speciei *Isertiae coccineae* descripsit.

Obs. 2. Calyx in nostro specimine optime conservato carneus est. Corolla ex albo-incarnata. Baccae fuscae, hexapyrenae. Pyrenae oblongae, obtusae, hinc convexae inde angulatae, uniloculares, polyspermae. — Calycem Cel. WILDENOWIUS, ut et alii eum secuti, false 6-dentatum nominat, characterem ex AUBLETII caractere naturali Guettardae — *Isertiam* et *Guettardam* complectentis — con-

cinnans. Tam in *Isertia coccinea* quam in *I. parviflora* calyx 4-dentatus est. Genus ceterum *Guettardae*, quod male adhuc cum *Isertia* conjunxit Auct. *Encycl. method. Suppl.*, fructibus valde diversum est.

III. TRIGYNIA.

HYDROMYSTRIA. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Flor. hermaph. Calyx 5-phyllus. Cor. 3-petala. Flor. fem. Cal. subtubulosus, 3-partitus. Styli 12. Cor. squamae 3. Caps. ovata 1-ocularis.

CHARACTER NATURALIS.

Flores in scapis teneris solitarii.

Hermaphroditi.

Cal. Perianthium 5-phyllum, coloratum: foliolis lanceolatis patentibus.

Cor. Petala 3 tenera, lineari-lanceolata, patentia.

Stam. Filamenta 6 brevissima. Antherae filamentis multoties longiores, lanceolatae.

Pist. Ovarium . . . Styli 3, longitudine staminum, apicibus reflexis. Stigmata simplicia.

Pericarp. Capsula ovata, 1-ocularis.

Sem. . . .

Feminei in diversa planta?

Cal. Perianthium subtubulosum; profunde trifidum.

Cor. Squamae 3 (petalorum rudimenta.)

Pist. Ovarium . . . Styli 12 subulati, pilosi. Stigmata simplicia, curvata.

HABITUS.

Herba aquatica. Stolones procumbentes. Folia pauca, petiolata. Flores solitarii in scapis foliis brevioribus, tenerrimis.

AFFINITAS.

Differt nostrum genus ab Helioniade, florum structura femineorum ab hermaphroditorum diversa, antheris, capsulisque unilocularibus: ab Hydrocharide inflorescentia, staminum numero, floribus femineis, capsulisque: a Meliantho petalis, filamentorum insertionem, antheris capsulisque.

ETYMOLOGIA.

Nomen a ὕδωρ - aqua - et μυστήριον - cochlear parvum, ob similitudinem foliorum derivavimus.

Obs. 1. Character ad vivam plantam confirmandus et forte emendandus est.

Obs. 2. Affinis videtur genus Hydrocleys. RICH. *Memoir. d'Hist. nat. Pars 1.* p. 368. *Ic. t. 18.* In pluribus tamen differt et fructus ignotus.

1. HYDROMYSTRIA. stolonifera nob.

In aquis stagnantibus paludosis plantationis *Hamburg.*

Perennis? Floret Augusto.

Descript. Radix submersa, fasciculata, stolones nonnullos et folia 3 — 5 nutriens. Stolones 3 — 4-unciales, pennae gallinae crassitie, triquetri, striati, glabri, apice radicantes et novam plantulam emittentes. Folia petiolata, carnosae, ovato-orbiculata, acutiuscula, basi breviter in petiolum attenuata, pollicem longa, lineas 8 — 9 lata, integerrima, planiuscula, petiolum versus concaviuscula, subtus nervoso-lineata, utrinque punctata, nitida. Petioli e squamis nonnullis membranaceis, pellucidis orientes, 2 — 3-unciales, triquetri, apicem versus sensim attenuati et canaliculati, glabri. Scapi 3 — 5 centrales, petiolis duplo triplo breviores, teneri, infra florem paulo incrassati, teretes, albidi, 1-flores. Flores supra fusius descripti, parvi, albidi. Capsula parva, ovata, unilocularis.

Ob florum teneritatem et substantiam plantae carnosam per exsiccationem mutatae disquisitio et analysis partium difficiles reddebantur. Tamen florum tam hermaphroditorum quam femineorum in exemplis pluribus consentientem deprehendimus. Forsitan aptius calyx nullus et corolla hexapetala dicatur. Capsulae, quas examinavimus immaturae erant, sed certe uniloculares.

VIII. OCTANDRIA.

I. MONOGYNIA.

RHEXIA. GRONOV.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 636. JUSS. Gen. p. 330. GAERTN. Fruct. 2. p. 143. t. 112.

Cal. 4 vel 5-fidus. Pet. 4 calyci inserta. Antherae declinatae. Caps. 4-locularis, intra ventrem calycis.

† Foliis petiolatis.

RHEXIA aquatica.

R. foliis oppositis cordato-ovatis serrulatis 5-nerviis; paniculis terminalibus trichotomis, ramulis filiformibus patenti-divergentibus.

R. aquatica, foliis oppositis cordatis crenulatis hirsutiusculis, paniculis terminalibus trichotomis, ramulis filiformibus patentissimis. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 305.*

ICON. AUBL. *Guj. 1. t. 169.*

In locis humidis, ad rivulos.

Perennis. Floret Junio, Julio.

Folia in nostro specimine fere glabra, 5-nervia, nervis intermediis 3 validioribus.

GAUREA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 649. JUSS. Gen. p. 265. LAM. Illust. t. 301.

Cal. 4-dentatus. Petala 4. Corona tubulosa, ore antheras gerens. Caps. 4-locularis, 4-valvis. Sem. solitaria.

1. GAUREA trichilioides.

G. foliis pinnatis, floribus racemosis.

G. trichilioides. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 332. RODSCH. *Observ.* p. 62.

ICON. CAVANILL. *Diss.* 7. t. 210.

PLUM. *Icon.* t. 147. f. 2.

In sylvis arenosis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret Decembri, Januario.

AMYRIS. BROWN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 650. JUSS. *Gen.* p. 371. LAM. *Illustr.* t. 303.

Cal. 4-dentatus. Petala 4 oblonga. Stigma tetragonum.
Bacca 2-sperma.

AMYRIS ambrosiaca.

A. foliis pinnatis, foliolis quinis septenisve petiolatis oblongis acuminatis; pedunculis axillaribus subcorymbosis.

A. ambrosiaca, foliis pinnatis, foliolis septenis petiolatis oblongis acuminatis, pedunculis multifloris subcorymbosis axillaribus. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 335.

A. balsamifera. RODSCH. *Observ.* p. 25.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 130.

In sylvis umbrosis passim.

Arbor. Floret Februario, Augusto, Septembri.

XIMENIA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 651. JUSS. *Gen.* p. 259. LAM. *Illustr.* t. 297.

Cal. 4-fidus. Petala 4 pilosa, revoluta. Drupa 1-sperma.

1. XIMENIA americana.

X. foliis oblongis, pedunculis multifloris. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 338. RODSCH. *Observ.* p. 89.

ICON. JACQ. *Amer. t. 177. f. 31. edit. pict. t. 107.*

PLUM. ICON. t. 261. f. 1.

In sylvis arenosis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret per totum annum; fructus maturat Decembri.

Variat staminibus 7.

THOUINIA. POITEAU.

Annal. Mus. hist. nat. Vol. 3. p. 70 et Vol. 5. p. 401. c. icon.

Cal. 4-fidus. Pet. 4. Annulus germen cingens. Nuces 3 alatae, stylo persistenti adnatae.

THOUINIA polygama. nob.

T. foliis pinnatis, floribus racemosis polygamis villosis.

In sylvis arenosis continentis circa *Arowabischkreek.*

Arbor. Floret Decembre, Januario.

Descript. Cortex saturate sanguineus Cinchonae officinalis saporis. Ramuli teretes, verrucosi, glabri. Folia alterna, pinnata, bi-trijuga; foliola opposita, subsessilia, coriacea, oblongo-ovalia, acuminata et apice extremo obtusiuscula, inferiora retusa et leviter emarginata, integerrima, margine subreflexo, venoso-reticulata, glaberrima, nitida. Petiolus communis firmus, lineatus, puberulus; partiales vix lineam longi, crassi, rugosi, glabri. Racemi axillares, inferne ramosi; rami patentes, simplices, ut rachis obtuse angulati, tomento tenui rufescenti tecti. Flores masculi et hermaphroditi in distinctis plantis, in pedicellis brevissimis a 3—6 conglomerati, minuti, albi. *Flor. mascul.:* calyx inaequaliter 4-fidus, laciniis obtusis. Petala 4 squamaeformia obovata, nunc emarginata nunc biloba, lobis integris emarginatisve, lanata. Stamina 8 calyci inserta, petalis fere duplo longiora. Filamenta subulata, lanata. Antherae subrotundae didymae, rubescentes. Germinis rudimentum. *Flor. hermaph.:* calyx, corolla et stamina maris. Ovarium cuneiforme triquetrum, basi annulo cinctum. Stylus subulatus persistens. Stigma trifidum. Nuces 3 stylo persistenti affixae, apterae?

Fructus quos vidimus inmaturi erant, quare nil certi de iis dicere possumus. Tamen ex omnibus patet nostram stirpem ad genus Thouinia pertinere. Affinis est Thouinia pinnata. *Annal. Mus. hist. nat.* 5. p. 401. t. 26, sed differt foliolis oblongo-obovatis floribusque paniculatis terminalibus.

DODONAEA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 654. JUSS. *Gen.* p. 375. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 134. t. III.

Cal. 4-phyllus. Cor. o. Caps. 3-locularis, 3-alata. Sem. bina.

1. DODONAEA viscosa.

D. foliis obovato-oblongis basi cuneatis viscosis; floribus racemosis.

D. viscosa, foliis oblongis obtusis basi angustatis viscosis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 343.

ICON. SLOAN. *Hist.* 2. t. 162. f. 2. (rudis quidem attamen bona.)

PLUM. ICON. t. 247. f. 2.

Copiosissime in arenosis.

Frutex. Floret per totum annum.

Plura synonymorum a Cel. WILDENOWIO l. c. ad D. viscosam acumulatorum valde dubia sunt. Sine dubio plures novae species in iis latent. Removenda sint e synonymorum serie.

BROWN. *Jam.* 191. t. 18. f. 1. folia triplo angustiora quam sunt sistens. Forte ad D. angustifoliam pertinet.

RUMPH. *Amb.* 4. p. 110. t. 50. Folia omnia medio latissima superne longe acuminata picta sunt, qualia nunquam occurrunt in D. viscosa.

BURRM. *Zeyl.* 55. t. 23. Floribus geminis pedicellis brevissimis insidentibus valde differt a D. viscosa, cui racemi multiflori, in pedicellis longioribus cernuis. Ad hanc stirpem, ut nostra opinio fert, PLUCK. *Phyt.* t. 141. f. 1. pertinet. Flores quidem desunt, sed folia exacte quadrant.

PLUCK. *Phyt.* 185. t. 447. f. 5., quae ob folia acuminata ad plantam Rumphii spectat.

III. TRIGYNIA.

POLYGONUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 677. JUSS. Gen. p. 82. GAERTN. Fruct. 2. p. 181. t. 119.

Cal. o. Cor. 5-rarius 4-partita calycina. Semen nucaceum corolla tectum.

† Persicariæ.

POLYGONUM barbatum.

P. floribus hexandris trigynis, spicis elongatis, ochreis truncatis setaceo-ciliatis, foliis lanceolatis acuminatis.

P. barbatum, floribus hexandris trigynis, spicis virgatis, ochreis truncatis setaceo-ciliatis, foliis oblongis acutis glabriusculis. *WILLD. Sp. pl. 2. p. 447.*

ICON. RHEED. Malab. 12. t. 77.

Copiose in graminosis plantationis *Altona*, sed unico tantum tractu. Perennis. Floret a Januario ad Augustum.

Adumb. Caules 6—8 pedes longi et longiores, digiti crassitie, ramosi, sulcato-striati, scabri, superne setulis adpressis tecti, ochreis copiosis obvallati. Ochreae adpressae, truncatae, superne rubrae et setis validioribus longioribusque lutescentibus ciliatae. Folia sessilia, longissima, lanceolata, acuminata, pilis firmis adspersa, subscabra vel glabriuscula. Spicae copiosae, longae, densiflorae. Bractee obovatae, truncatae, ciliatae, flores 3 pedicellatos emittentes. Corolla albida, usque infra medium 5 fida, laciniis ovatis, obtusis. Filamenta 6 subulata, corolla longiora. Antherae subrotundae. Ovarium compressiusculum. Stylus usque ad medium trifidus. Semen ovatum, compressum, acuminatum, nigrum, nitidum.

Flores polygami videntur. In masculis stylus debilis in hermaphroditis validus, duplo crassior.

COCCOLOBA. BROWN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 675. JUSS. Gen. p. 82. GAERTN. Fruct. I.
p. 214. t. 45.*

Cal. 5-partitus, coloratus. Cor. o. Bacca calycina, 1-sperma.

1. COCCOLOBA uvifera.

C. foliis cordato-subrotundis nitidis. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 457.*
RODSCH. *Observ. p. 47.*

ICON. JACQ. *Amer. t. 73 edit. pict. t. 110.*

PLUM. *Icon. t. 145.*

Passim in plantationibus.

Arbor. Floret Aprili.

PAULLINIA. JACQ.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 679. JUSS. Gen. p. 247. GAERTN. Fruct. I.
p. 381. t. 79.*

Cal. 5-phyllus. Pet. 4. Squamae 4 unguibus petalorum
nisertae, inaequales. Caps. turbinata, trigona, 3-ocularis, loculis
1-spermis.

1. PAULLINIA pinnata.

P. capsulis pyriformibus tricoccibus, foliis pinnatis, folio-
lis oblongis obtuse serratis acuminatis, petiolis margi-
natis. WILLD. *Sp. plant. 2. p. 462.* RODSCH. *Observ. p. 78.*

ICON. PLUM. *Amer. t. 91.*

In sylvis.

Arbor. Floret toto anno.

IX. ENNEANDRIA.

I. MONOGYNIA.

LAURUS. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 688. JUSS. Gen. p. 80. GAERTN. Fruct. 2. p. 68. t. 92.

Cal. 4 vel 6-partitus. Cor. o. Filamenta interiora prope basin glandulifera. Antherae biloculares. Ovarium glandulis bisetis cinctum. Drupa 1-sperma.

1. LAURUS surinamensis.

L. foliis lanceolatis basi attenuatis subtus sericeo-tomentosis; racemis terminalibus axillaribusque.

L. surinamensis, foliis lanceolato-ovatis acuminatis ramis patentissimis, racemis filiformibus lateralibus axillaribusve. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 482.*

ICON. AUBL. *Guj. 2. t. 310.*

In sylvis rarius.

Arbor. Floret Aprili, Majo.

Observ. Egregie hallucinatus est AUBLETIVS huic stirpi capsulam 4—5 vel 6 locularem, 4—5 vel 6-valvem seminibus minutis repletam tam in descriptione quam in icone attribuens. Fructus in nostro specimine, quod in omnibus reliquis in descriptionem et iconem citatam quadrat, drupa est parva, calyce persistente obvallata, subrotunda, evalvis, 1-locularis; nucleo nunc emarginato nunc bilobo.

ANACARDIUM. ROTTB.

Gen. pl. ed SCHREB. n. 1582. JUSS. *Gen. p.* 368. GAERTN. *Fruct. I.*
p. 191. t. 40.

Cal. 5-partitus. Pet. 5 reflexa. Antherae 9 filamento decimo castrato. Nux reniformis supra receptaculum carnosum.

I. ANACARDIUM occidentale.

A. occidentale. WILLD. *Sp. pl. 2. p.* 486. RODSCH. *Observ. p.* 26.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 181. f. 35. *edit. pict. t.* 121.

BLACKW. t. 369.

Copiosissime in arenosis continentis et insularum.

Arbor. Floret per integrum annum.

Observ. In pluribus speciminibus flores masculos pistillo destitutos observavimus; certe igitur ad Polygamiam pertinet haec stirps. Nomen ei in Essequebo est Caschu. Fructus eduntur. E foliis junioribus et libro decoctum conficitur quod interne contra dysenteriam externe ad ulcera sananda adhibetur.

X. DECANDRIA.

I. MONOGYNIA.

INGA. WILLD.

Spec. plant. 4. p. 1004.

Cal. 5-dentatus. Cor. tubulosa, 5-dentata. Stamina 10 vel numerosa monadelphæ. Legumen 1-loculare. Semina pulpa vel arillo involuta.

† Foliis pinnatis, petiolo communi alato.

1. INGA fagifolia.

L. inermis, foliis pinnatis bijugis, foliolis oblongo-lanceolatis acuminatis glabris, glandula inter omnia paria, petiolo apice marginato, spicis axillaribus subquaternis, corollis glabris. WILLD.

Mimosa fagifolia. LINN.

Ingia marginata. WILLD. *Sp. plant. 4. p. 1015.*

ICON. AUBL. *Guj. 4. t. 358.*

PLUCK. *Alm. t. 141. f. 2.*

Copiose in sylvis et inter fruticeta.

Arbor. Floret . . .

MIMOSA. TOURNEF.

TOURNEF. *Instit. ed. alt. p. 605. t. 375.* GAERTN. *Fruct. 2. p. 344. t. 135.*

Cal. 5-dentatus l. multifidus. Cor. o, 5-partita vel 5-dentata. Stam. 8 vel 10. Lomentum in articulos 1-spermos secedens.

† Foliis duplicato-pinnatis.

I. MIMOSA asperata.

M. aculeata, foliis 10—14 jugis, pinnis multijugis, aculeis oppositis curvatis inter singulas pinnas, spina recta basi pinnarum.

M. asperata, aculeata foliis bipinnatis partialibus 8—10 jugisve propriis multijugis, aculeis oppositis uncinatis inter singula partialia, partialium basi spina recta. WILLD. *Sp. plant.* 4. p. 1035.

ICON. BANKS. *Reliq. Iloust.* t. 20.

BREYN. *Cent.* t. 19. (*mala*).

In humidis copiose.

Frutex. Floret per totum annum.

Adumbrationi ILL. LINNAEI florum descriptionem addimus, quae non minus quam *Mimosae chilianthae* descriptio demonstret, WILDENOWI generis *Mimosae* characterem minime omnibus speciebus sufficere.

Spicae axillares, pedunculis bipollicaribus hirsutis insidentes, subglobosae, semi-pollicis diametri, densiflorae. Calyx campanulatus, membranaceus, margine multifidus, laciniis setaceis. Corolla tubulosa, viridis, limbo 4-partito, laciniis ovato-oblongis obtusiusculis. Filamenta 8 incarnata, quorum 4 longiora et incrassata. Antherae transversim affixae, luteae. Ovarium oblongum. Stylus corollam non superans. Stigma truncatum. Lomentum sesquipollicare, lineare, obtusum, cum acumine brevi, setis rubris densissime tectum.

2. MIMOSA chiliantha. nob.

M. inermis, foliis 3—4jugis, pinnis 7—8jugis, foliolis lineari-oblongis subtus pubescentibus; spicis geminis in racemis terminalibus, floribus completis.

M. alia scandens, spica multiplici, siliquis latis. FLUM. *Cat. plant. Amer.* p. 17. (*excl. syn.*)

ICON. FLUM. *Icon.* 1. t. 12.

In sylvis humidis.

Arbor. Floret per totum annum.

Descript. Arbor scandens, alta. Cortex e fusco viridis. Folia alterna, bipinnata; partialibus 3 vel 4 jugis, propriis 7 vel 8-jugis. Foliola brevissime petiolata, lineari-oblonga, lineas 12-14 longa, 5 lata, obtusa, tenuiter emarginata, basi rotundato-truncata, supra glabra, nitida, subtus dense pubescentia. Petioli glabri: communis semiteres, supra canaliculatus utroque latere sulco notatus; partiales subcompressi, basin versus—inprimis summum par—in crassati et rugosi. Racemi terminales, horizontales l. adscendentes pedales et longiores. Spicae circiter 60 geminae, secundae, divergentes, 3—4-pollicares, unaquisque floribus 130—150 subsessilibus ornata. Raches tam racemi quam spicarum teretes, sulcato-striatae, pubescentes. Flores parvi. Calyx campanulatus, 5-dentatus, pubescens, viridis. Petala 5 erecta, calyce triplo longiora, oblongo-linearia, acuta, concava, purpureo-fusca. Stamina 10 flexuosa, corolla longiora, alba. Ovarium oblongum, compressum. Stylus curvatus. Stigma obtusum. Lomentum maximum lineare, planum, obtusum, articulatum, marginibus alatum. Semina solitaria, oblonga.

Differt haec species a *Mimosa polystachia*. JACQ. *Amer.* p. 265. cui maxime affinis, absentia cirrhorum, foliolis subtus pubescentibus, spicis geminis, calyce campanulato 5-dentato, et praesentia corollae. In *M. polystachia* calyx 5-phyllus, deciduus, corolla nulla etc. Icon citata flores corollatas et cirrhos nullos sistens, non ad JAQUINI sed ad nostram stirpem pertinet.

Arbor de qua specimina haecce legi in sylvis humidis arbores altissimas superscandit, quamquam nulli cirrhi et aculei-adsunt. Flores innumeros odoratissimos profert. Floret per totum annum. RODSCH.

ACACIA. TOURNEF.

Inst. ed. alt. p. 605. t. 375. GARTN. *Fruct.* 2. p. 317. t. 148.

Cal. 5-dentatus. Cor. 5-fida vel 5-petala. Stamina 4-10 vel plura exserta. Legumen uniloculare.

† Foliis duplicato-pinnatis, caule inermi, spicis filiformibus.

1. ACACIA aspidioides. nob.

- A. foliis bipinnatis, partialibus 15—18-jugis propriis multijugis, foliolis basi subtus glandula transversali notatis; spicis cylindricis racemosis terminalibus.

Copiose in humidis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret Augusto, Septembri.

Descript. Rami mutici. Folia sparsa, bipinnata; pinnae partiales 15—18 jugae, propriae 30—40 jugae. Foliola densissime approximata, sessilia, linearia, superne paulo angustiora, lineas 4 longa, 1 lata, leviter incurvata, in apicem cuspidatum desinentia, latere superiore duplo angustiore in basin attenuato, inferiore basi in auriculam obtusiusculam producto, utrinque glabra, subciliata, subtus in basi costae glandula transversali notata. Petioli eglandulosi, pubescentes: communis semiteres, subangulatus, superne canaliculatus; partiales striati. Spicae in racemis terminalibus, 6—12 pollicares, cylindricae, densiflorae. Calyx campanulatus, 5-dentatus, dentibus obtusis, una cum corolla purpurascens. Corolla fere 5-partita, calyce triplo longior, laciniis oblongis, acutis. Filamenta 10 flexuosa, alba, 5 erecta, 5 alternatim quadruplo longiora, dependentia. Antherae flavae, filamentorum breviorum transversaliter affixae, oblongae, longiorum collo proprio capillari affixae, subrotundae, deciduae. Ovarium compressum, villosum. Stylus filiformis, staminum breviorum longitudine. Stigma truncatum. Legumen curvatum: valvulae dissolutae recurvatae. Semina obovata, compressa, glabra.

Systemati haec species pone *Acaciam tamariscinam* LAM. *Encyc.* 1. p. 13. inserenda est; quae differt glandulis in petiolo communi, foliolis quadruplo brevioribus, spicis 2-pollicaribus, floribus lutescentibus etc.

†† Foliis duplicato-pinnatis, caule inermi, spicis globosis.

2. ACACIA grandiflora.

- A. grandiflora, foliis bipinnatis, partialibus 17-jugis, propriis 40-jugis, spicis subcapitatis, pedunculis racemosis terminalibus. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 1074.

An revera spontanea incerti sumus.

Frutex. Floret . . .

††† Foliis duplicato-pinnatis, spinis stipularibus, spicis globosis.

3. ACACIA pedunculata.

A. spinis stipularibus geminis, foliis bipinnatis, partialibus 3—5 jugis, propriis 14—18 jugis, glandula petiolari, spicis globosis subgeminis pedunculatis, pedunculis folia subaequantibus. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 1084.

Passim. An culta?

Frutex. Floret . . .

Vix nostram plantam a WILDENOWII diversam censemus, quamquam *Java* pro patria indicata est, et pedunculi foliis tertia parte breviores sunt. Foliolorum descriptionem, quae deest in WILDENOWII adumbratione addimus: subsessilia sunt, linearia, basi subtruncata et inaequalia, acutiuscula, lineas 3 vix longa, subciliata, elevato-venosa, utrinque punctata. — Caulis in nostro specimine ceterum insigniter flexuosus est.

Incolae fruticem Kascha vocant et ad bonum atramentum coquendum adhibent. (*Otterbein*).

CASSIA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 700. JUSS. Gen. p. 348. GAERTN. Fruct. 2. p. 313. t. 147.

Cal. 5-phyllus. Petala 5. Antherae supremæ 3 steriles, infimæ 3 rostratæ. Legumen 2-valve.

1. CASSIA latifolia. nob.

C. foliis bijugis, foliolis oblongis glabris, glandula magna inter inferiora, minima inter superiora; racemis terminalibus.

Ad originem rivi *Arowabiskreek*.

Frutex. Floret Octobri.

Descript. Frutex 6 — 8 pedalis. Rami teretes, cortice fusco; ramuli crassi, angulati, superne pilis adpressis canescentes. Folia alterna, bijuga: foliola superiora bina ovato-oblonga, subacuta, basi inaequalia, pollices 4 longa, $2\frac{1}{2}$ lata, inferiora tertia parte minora obtusa, basi subaequalia; omnia petiolata, firma, glabra, recentia ad venas leviter pubescentia, nitida, margine subundulata. Petiolus communis 3-pollicaris, angulatus, striatus, pilis minutissimis adpersus; partiales 3-lineares, crassiusculi, rugulosi. Glandula inter inferiorum foliolorum par magna, conica; inter superiora minuta, decidua. Stipulae oblongo-subrotundae, semiunciales. Racemus terminalis, laxis. Bractea ad basin petiolorum ovata, concava, pubescens. Flores magni, lutei.

Hanc fruticem 6 — 8 pedalem ad originem rivi Arowabischikreek Octobre florentem legi. RODSCH.

2. CASSIA venenifera. RODSCH.

C. foliis 4 jugis, foliolis ovalibus hirsutis, glandula baseos petiolorum; racemis axillaribus paucifloris leguminibus pubescentibus.

C. venenifera. RODSCH. *Observ. p. 43.*

In dumetis continentis locis arenosis.

Frutex. Floret Augusto, Septembre.

Descript. Rami teretes, cinerei; ramuli subangulati, superne hirsuti. Folia alterna 4-juga: foliola ovalia, superiora majora sesquiuncialia, inferiora semiuncialia, margine hinc inde obsolete angulata, pilis densis canescentibus una cum petiolis et pedicellis hirsuta. Petiolus communis semiteres, sulcatus; partiales lineam longi. Glandula ad basin petioli oblonga. Stipulae subulatae, ciliatae. Flores subumbellati. Racemi axillares, subsessiles, 4 — 5 flori. Pedicelli semiunciales, basi bracteis lineari-lanceolatis suffulti. Calycis foliola ovato-subrotunda, exteriora 3 virides hirsuta, inferiora 2 majora, colorata, basi tantum pilosa. Petala oblongo-obovata, flava, vasis nervoso-venosis fuscis reticulata. Filamenta infima 3 longiora. Antherae filamentorum

majorum longiores, curvatae, cucullo tumido incurvo appendiculatae; intermediae 4 erectiusculae cucullo breviori recto auctae; infimae 3 inanes, compressae. Ovarium lineare, sericeo-villosum. Stylus brevis, nudus. Stigma compressum, puberulum. Legumen lineare sericeo-pubescentis.

Indiani hanc plantam Pi ami dicunt et radices contusas ad pisces captandos adhibent. Hominibus comesae mortem inferunt. RODSCH. l. c.

3. CASSIA occidentalis.

C. foliis 5 jugis, foliolis oblongis acuminatis ciliatis, glandula baseos petiolorum; racemis terminalibus, leguminibus strictis glabris.

C. occidentalis, foliis 5-jugis ovato-lanceolatis margine scabris: exterioribus majoribus; glandula baseos petiolorum. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 518. RODSCH. *Observ.* p. 41.

ICON. SLOAN. *Hist.* 2. t. 175. f. 3 et 4.

In arena insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret toto anno.

4. CASSIA alata.

C. foliis 8 jugis, foliolis oblongo-ellipticis glabris; racemis spicatis, leguminibus membranaceo-marginatis.

C. alata, foliis 8 jugis ovali-oblongis: inferioribus minoribus, petiolis eglandulosis, stipulis patulis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 523. RODSCH. *Observ.* p. 40.

ICON. JACQ. *Observ.* 2. t. 45. f. 2.

Passim.

Frutex. Floret . . .

Bractee in nostro specimine non subrotundo-ovata (SWARTZ. *Observ.* p. 162.) sed lineari-oblongae, obtusae, concavae, deciduae.

5. CASSIA Otterbeinii. nob.

C. foliis 20-jugis, foliolis oblongo-linearibus glabris, glandula pedicellata inter infima; floribus binis quaternisve, leguminibus nitidis.

In fruticetis.

Frutex? Floret . . .

Descript. Rami virgati, teretes, cum petiolis pedicellisque pilis canescentibus adpersi. Folia alterna, patentia, 20-juga: foliola sessilia, oblongo-lineararia, utrinque obtusa, mucronata, basi inaequalia, lineas 6 longa, 2 vix lata, utrinque glabra, concoloria. Petiolus subteres, basi parum incrassatus, linea profunda exaratus. Glandula pedicellata inter infimum foliolorum par. Flores infrafoliacei gemini vel quaterni, lutei, bracteis duabus oblique oppositis lanceolato-subulatis stipati. Pedunculi semiunciales, paulo incrassati. Calycis foliola fere corollae longitudine, lineari-lanceolata, cuspidata, basin versus pilis luteis adpersa. Petala oblonga, basi attenuata; superius subrotundum, unguiculatum. Filamenta 3 inferiora reliquis longiora. Pistillum adscendens: ovarium sessile, lineare, pubescens; stylus ovario paulo longior, glaber. Stigma minutum. Legumen lineare, leviter curvatum, planum, subtuberculatum, pilis raris adpressis adpersum, nigrum, nitidum.

Observ. In unico specimine hujus stirpis, quod tantum vidimus, filamenta in omnibus floribus, etiam in nondum apertis foliolis calycinis involutis, omnia sterilia apicibus emarginata observavimus.

Hanc speciem in honorem HENRICI JACOBI OTTERBEIN, Essequiboensis, plantationum plurium domini nominavimus, qui haud parvam partem stirpium a CLAR. MERTENS nobiscum communicatarum legit et diligenter exsiccavit.

6. CASSIA calliantha. nob.

C. foliis 24-jugis, foliolis oblongo-linearibus glabris, glandula subulata inter infima; racemis terminalibus, leguminibus glabris.

In sylvis plantationis *Königsberg*.
Arbor. Floret Septembri.

Descript. Arbor ramis e griseo et albo variegatis; ramulis strictis teretibus, obtuse angulatis, albo-punctatis, setulisque adpersis. Folia alterna, erecto-patentia, stricta, 24-juga: foliola oblongo-lineararia, utrinque obtusa, pollicem longa, lineas 3—4 lata, mucrone brevissimo terminata, glabra, superne saturate viridia, subtus glauca. Petioli pilis brevissimis adpersi, communes subquadrigoni, basi incrassati, linea longitudinali exarati; partiales lineam longi. Glandula inter infimum foliolorum par subulata, apice reflexa, purpurea. Stipulae deciduae. Racemus terminalis, strictus, semipedalis et ultra, pulcherrimus. Rami et pedicelli setulis rigidis fuscis tecti. Flores magni lutei. Calycis foliola patentia, inaequalia, lateralia 2 opposita reliquis majora, subrotunda. Petala 4 oblonga, unguiculata, venosa; infimum majus dimidiatum, sessile, nervoso-venosum. Stamina 3 infima intermediis 4 majora, suprema 3 minima, sterilia. Antherae crassae, tetragonae, curvatae, lateribus duobus oppositis cum canalicula alternantibus sulco superficiali notatae, inferiores 3 rostratae, reliquae capitulo adunco terminatae. Pistillum adscendens: ovarium lineare, compressiusculum glabrum; stylus subnullus; stigma inflexum, obtusum. Legumen lineare, obtusum, planocompressum, glabrum.

Generi *Poinciana* haec species proxima est.

POINCIANA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 701. JUSS. Gen. p. 349. GAERTN. Fruct. 2. p. 322. t. 150.

Cal. 5-partitus. Pet. 5 unguiculata, summum dissimile. Stamina longissima, omnia foecunda. Legumen plano-compressum.

1. POINCIANA pulcherrima.

P. aculeata, calycibus inaequalibus glabris.

Caesalpinia pulcherrima, aculeata, foliolis oblongo-ovalibus emarginatis, calycibusque glabris, corymbis simplicibus, petalis fimbriatis, staminibus longissimis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 531.

ICON. CURT. *Magaz.* t. 995.

BREYN. *Cent.* t. 22.

Nunc spontanea; sed verosimiliter ex aliis terris adlata.

Frutex. Floret Septembre.

GUAJACUM. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 727. JUSS. *Gen.* p. 296. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 148. t. 113.

Cal. 5-partitus, inaequalis. Petala 5, aequalia. Caps. angustata, 2—5-locularis.

1. GUAJACUM officinale.

G. foliolis bijugis obtusis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 538.

ICON. BLACKW. t. 350. n. 1. 2.

SLOAN. *Hist.* 2. t. 222. f. 3. 4. 5.

In sylvis.

Arbor. Floret . . .

PETALOMA. SWARTZ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1750. JUSS. *Gen.* p. 320. LAM. *Illust.* t. 360.

Cal. urceolatus, 5-dentatus. Petala 5 calyci inserta. Stamina margini calycis insidentia. Bacca 1-locularis.

1. PETALOMA Muriri.

P. pedunculis confertis axillaribus, foliis petiolatis ovatis acuminatis; baccis 4-spermis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 542.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 180.

In sylvis continentis.

Arbor. Floret Octobri, Novembri.

Folia supra elevato-punctata.

QUASSIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 728. JUSS. Gen. p. 282. GAERTN. Fruct. I. p. 340. t. 70.

Cal. 5-phyllus. Pet. 5. Squamae 5 basi filamentorum interiori insertae. Baccae 5 distantes 1-loculares, 1-spermae, receptaculo carnosio insertae.

I. QUASSIA amara.

Q. floribus hermaphroditis racemosis, foliis imparipinnatis, foliolis oppositis sessilibus, petiolo articulato-alato.

Q. amara, floribus hermaphroditis, foliis impari-pinnatis, foliolis oppositis sessilibus, petiolo articulato alato, floribus racemosis. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 567. RODSCH. Observ. p. 86.*

ICON. CURT. *Mag. t. 497.*

LINN. *Amoen. acad. 6. t. 4.*

Copiose in sylvis siccis, tam continentis quam insularum.

Arbor. Floret per totum annum.

2. QUASSIA Simaruba.

Q. floribus monoicis paniculatis, foliis abrupte pinnatis, foliolis alternis subpetiolatis, petiolo nudo.

Q. Simaruba floribus monoicis, foliis abrupte pinnatis, foliolis alternis subpetiolatis, petiolo nudo. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 568.*

ICON. AUBL. *Guj. 2. t. 331. 332.*

In sylvis arenosis.

Arbor. Floret Novembri, Decembri.

JUSSIEUA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 741. JUSS. Gen. p. 319. GAERTN. Fruct. I. p. 158. t. 31.

Cal. 4 vel 5 partitus, superus. Petala 4 vel 5. Caps. 4 vel 5-locularis, oblonga, angulis dehiscens. Semina verrucosa, minuta.

1. JUSSIEUA palustris. nob.

J. caule erecto suffruticoso alato, foliis superioribus lanceolatis, inferioribus sensim spatulatis glabris, floribus tetrapetalis octandris pedunculatis.

Copiose in paludosis.

Frutex. Floret fere toto anno.

Descript. Caulis erectus, ramosus, inferne fruticosus, teres, cortice cinereo-fusco, superne herbaceus, quadrangularis, angulis membranaceo-alatis, viridis. Rami alterni, patentes. Folia alterna, versus ramorum apices approximata, sessilia, superiora lanceolata, acuminata, basi longe attenuata; intermedia sensim breviora, acuta vel obtusiuscula; infima spatulata, mucrone vix manifesto apiculata: omnia integerrima vel obsoletissime crenulata, venosa, glabra. Pedunculi solitarii, axillares, breves. Calyx 4-fidus, laciniis lanceolatis, nervoso-venosis. Petala 4, calycis longitudine, ovalia, decidua. Stamina 8. Antherae stigmati adclives. Ovarium incrassatum, tetragonum, obtusangulum. Stylus crassiusculus, staminibus vix longior. Stigma capitatum.

2. JUSSIEUA suffruticosa.

J. caule erecto, foliis sessilibus lanceolatis pubescentibus; floribus tetrapetalis octandris subpedunculatis.

J. suffruticosa, erecta villosa, floribus tetrapetalis octandris pedunculatis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 577.

ICON. RHEED. *Malab.* 2. t. 49.

In locis graminosis plantationis *Hamburg*.

Frutex? Floret Junio.

Caulis angulatus, valde ramosus, una cum foliis sessilibus pubescens. Calycis laciniae lanceolatae. Corolla lutea.

3. JUSSIEUA acuminata.

J. caule adscendente, foliis oblongis utrinque acuminatis glabris, floribus octandris sessilibus.

J. acuminata, erectiuscula glabra, foliis lato-lanceolatis attenuatis, floribus octandris subsessilibus. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 577.

In sylvis insulae *Arowabisch*.

Annua. Floret per integrum annum.

4. JUSSIEUA variabilis. nob.

J. caule adscendente glabro, foliis lanceolatis utrinque acuminatis serrato-crenatis, floribus pentapetalis decandris, pedunculis bibracteatis.

In paludosis plantationis *Hamburg*.

Perennis. Floret Julio.

Descript. Caulis adscendens, inferne teres, crassus, superne polygonus, glaber, ramosus. Folia alterna lanceolata, utrinque attenuata, breviter petiolata, obsolete serrato-crenata, glabra. Pedunculi axillares uniflori, apice bracteis duabus oppositis aucti. Calycis lacinae 5 vel 6 lanceolatae. Petala 4 — 5 vel 6, calyce majora, ovata, lutea, venis notata. Stamina 10, quinque alternis minoribus, longioribus cum antheris stigmati adpressis. Ovarium pedunculo duplo longius, incrassatum, tetragonum, acutangulum.

Ob pedunculos bracteatos *J. peruviana*e affinis, sed flores multo brevius pedunculati et multo minores, folia longiora, angustiora etc. Habitu magis affinis est *J. erectae*, sed satis diversa.

SCHOUSBOEA. WILLD.

WILLD. *Sp. plant.* 2. p. 578. JUSS. *Gen.* p. 320. LAM. *Illust. t.* 359.

Cal. campanulatus, 5-fidus, corollifer. Petala 5 vix calyce majora. Drupa pentagona, 1-sperma.

1. SCHOUSBOEA coccinea.

S. coccinea. WILLD. *Spec. plant.* 2. p. 578.

ICON. AUBL. *Guj. t. t.* 179.

In paludosis.

Arbor. Floret Octobri.

Descriptioni AUBLETII l. c. p. 450. et adumbrationi WILLDENOWII l. c. nonnulla ex nostro specimine addimus. Folia versus racemum (an omnia?) non alterna, sed opposita, utrinque nitida. Racemus pulcherrimus, fere tripedalis. Pedicelli duplo pro ratione longiores quales in icone citata delineati sunt, articulati, infra articulationem incrassati. Calyx externe e viridi roseus, tomentosus, interne purpureus, barbatus. Petala externe subvillosa, purpurea, venis flavis picta. Filamenta purpurea. Antherae cordatae, brunneae (non ovatae, luteae. AUBL.) Ovarium inferum oblongum, obsolete quinquangulum, villosum. Stylus setaceus, staminibus longior. Drupa sicca oblonga, pentagona, subvillosa. Nux drupaeformis. Nucleus oblongus, acuminatus, basi attenuatus.

MELASTOMA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 742. JUSS. Gen. p. 329. GAERTN. Fruct. 2. p. 203. t. 126.

Cal. 5-fidus, campanulatus. Petala 5 calyci inserta. Bacca 3 vel 5-locularis, calyce obvallata.

† Foliis triplinerviis.

I. MELASTOMA tomentosum.

M. foliis sessilibus oblongo-obovatis cuspidatis basi attenuatis subtus ferrugineo-tomentosis, remotissime a basi triplinerviis; racemis terminalibus elongatis.

M. tomentosa, ramis, foliis subtus, pedunculis et calycibus Verbasci instar tomentosus: foliis amplis, sessilibus, ovatis, utrinque angustatis, remote a basi trinerviis. RICH. *Act. Soc. hist. nat. Paris. p. 109.*

M. tomentosa. BONPL. *Monog. Melast. p. 36.*

ICON. BONPL. l. c. t. 16.

In sylvis.

Frutex. Floret Septembri, Octobri.

Specimina nostra in omnibus cum icone laudata exacte conveniunt; inflorescentia autem discrepat, racemum non simplicem, ramis indivisis brevissimis, sed triplo longiorem ramosum, ramis ramulosis praebens. Videtur igitur CEL. BONPLANDIUM specimen quoad inflorescentiam haud perfectum ante oculos habuisse.

2. MELASTOMA crenatum.

M. hispidum, foliis subcordato-ovatis acuminatis, inaequaliter crenatis; racemis axillaribus et terminalibus petiolorum longitudine, calycis laciniis subulatis.

M. crenata, hispida, foliis subcordatis oblongis crenatis acuminatis, racemis axillaribus paucifloris longitudine petioli. VAHL. *Eclogae* 1. p. 41.

ICON. VAHL. *Icon. Eclog. illustr.* 1. t. 24.

In arenosis plantationum *Hamburg* et *Altona*.

Frutex. Floret toto anno.

†† Foliis quinquenerviis.

3. MELASTOMA laevigatum.

M. foliis ovalibus acuminatis utrinque glaberrimis obsolete crenulatis, panicula terminali patente.

M. laevigata, foliis integerrimis quinquenerviis ovato-oblongis laeviusculis acuminatis, margine laevibus. AUBL. *Guj.* 1. p. 412.

M. prasina. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 586. (*excl. synonym. SWARTZII*).

In sylvis.

Arbuscula. Floret Julio, Augusto.

4. MELASTOMA racemosum.

M. foliis ovalibus vel abovalibus breve acuminatis serrato-crenatis, margine subtus ad venas petiolisque pilosis; racemis terminalibus, floribus confertis.

M. racemosa, foliis ovatis quinquenerviis petiolis et limbis foliorum villosis. AUBL. *Guj.* 1. p. 406.

M. decussata. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 582.

ICON. AUBL. *l. c. t.* 156.

In nemorosis plantationis *Hamburg.*

Descriptioni a VAHLIO *Ecl.* 1. p. 42. exhibitae addimus: Folia nunc 2—3 nunc 4—6-pollicaria. Corolla alba. Stamina petalis inserta purpurea. Baccae e coeruleo nigrae, 3-loculares. Semina alba.

5. MELASTOMA aromaticum.

M. foliis ovatis nitidis subtus subpilosis, nervis cauleque strigosis, calycibus basi bracteis imbricatis. VAHL. *Ecl.* 1. p. 41.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 177.

In nemoribus.

Frutex. Floret Augusto, Septembri.

TERMINALIA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1583. JUSS. *Gen.* p. 76. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 90. t. 97? (*Badamia*).

Cal. 5-partitus. Cor. o. Drupa infera cymbiformis. (*Polygama*).

1. TERMINALIA dichotoma. nob.

T. ramis dichotomis, foliis obovato-oblongis brevissime acuminatis glabris eglandulosis; racemis foliorum longitudine, floribus lanatis.

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret a Septembre ad Martium.

Descript. "Arbor alta, ramis sparsis." Cortex sublaevis, cinereus. Ramuli dichotomi, teretes, glabri. Folia ad ramulorum apices aggregata, obovato-oblonga, brevissime acuminata, rarius obtusa, nunc mucrone terminata nunc mutica, basi in petiolum attenuata, pollices 2—3

longa, lineas 6 — 8 lata, obsolete crenulata, reticulato-venosa, utriusque glabra, nitida, juniora pilis minutis adpressis adspersa et margine subciliata. Petioli lineas 3 — 4 longi, villosi. Racemi terminales et in ramorum dichotomia, folia subaequant, simplicissimi. Rachis angulata, villosa. Flores in glomerulis sparsis paucifloris vel solitarii, sessiles; masculi in racemorum apice. Calyx subcampanulatus, externe tomentosus, interne villosus, albidus, limbo 5-fido, laciniis acutis. Squamulae 5 minutae in fundo calycis. Filamenta 10, calyce duplo longiora, glabra. Antherae subrotundae, didymae. Ovarium inferum, ovatum, rubescenti-villosum. Stylus subulatus, glaber, basi villosus. Stigma acutum. In floribus masculis ovarium nullum. Fructum non vidimus.

Specimina adjacentia ab arbore alta, ramis sparsis et cortice glabro gaudente desumpta sunt. Inter 40 flores vix 2 — 3 fructus reperiuntur. Crescit in sylvis insulae Arowabisch et floret a Sept. ad Martium.

RODSCHE.

Ob folia duplo minora et ramos non verticillatos haec stirps a Terminalia mauritiana, haud satis cognita, diversa nobis videtur. Am nostra opinio recta, autopti dijudicent. A T. Catappa omnino recedit.

III. TRIGYNIA.

MALPIGHIA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 779. JUSS. Gen. p. 253. LAM. Illust. t. 381.

Cal. 5-phyllus, basi externe glandulis binis. Pet. 5 subrotunda, unguiculata. Filamenta basi cohaerentia. Drupa 1-locularis, tripyrena.

1. MALPIGHIA elegans. nob.

M. foliis oblongis vel oblongo-lanceolatis membranaceis glaberrimis; racemis terminalibus elongatis nutantibus, pedicellis glandulosis.

In litore insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret Decembri, Januario.

Descript. "Arbor elegans, florum racemis undique dependentibus ornata." (RODSCH) Ramuli stricti, rubro-brunnei; pilis rigidiusculis adpressis cinnamomeis aequae ac petioli stipulaeque vestiti. Folia opposita, membranacea, oblonga, superiora oblongo-lanceolata, utrinque acuta, rarius apice breviter acuminata, pollices 5—6 longa, 2 lata, integerrima, glaberrima, nitida, et subtus venis viridibus punctisque albis eleganter variegata; recentia adpresso-pubescentia. Petioli semipollicares, crassiusculi, eglandulosi. Stipulae singulae inter petiolum ramulumque, oblongae, acuminatae, basi amplexicaules et per paria subconnatae. Racemi terminales, simplices, 5—6 pollicares, graciles, nutantes. Ramuli sparsi, divergentes, vix lineas 4 longi, simplices vel apice in pedicellos 2—3 divisi, ut rachis tomento cinnamomeo vestiti, basi que bractea axillari ornati. Pedicelli basi bracteati et insuper glandula una alterave orbiculata pedicellata aucti, uniflori. Calyx 5-fidus: lacinae subrotundae, pubescentes, singulae glandulis duabus ellipticis medio niveis instructae. Petala carnea, lamina oblonga limbriata basi attenuata, ungue laminae longitudinis. Receptaculum setosum. Filamenta brevia, compressa, basi libera. Antherae cordatae, obtusae, luteae. Ovarium subrotundum, glabrum. Styli 2 breves, crassiusculi. Stigmata bifida. Drupa globosa, didyma. Ossicula 2 ossea, evalvia.

Differt haec species: a *M. spicata*, foliis acutis glaberrimis — nec obtusiusculis subtus tomentosus, petalorum lamina basi attenuata mutica, nec hastata; a *M. crassifolia*, foliorum substantia, forma et superficie, petalorum lamina basi non rotundata; a *M. altissima* foliis, petiolis duplo brevioribus, racemis longioribus nutantibusque; ab omnibus 3 pedicellis glanduliferis, florum colore et stigmatibus ossiculisque 2; a *M. densa* POIR. *Encycl. Meth. Suppl.* 4. p. 7. nostra recedit foliis oblongis vel oblongo-lanceolatis nec ovatis (longit. poll. 3. et lat. $1\frac{1}{2}$, quae auct. injuste ovato-lanceolata dixit), racemis elongatis, nutantibus; nec brevibus, erectis dense compactis etc.

2. MALPIGHIA crassifolia.

M. foliis obovatis vel oblongo-obovatis coriaceis subtusque tomentosis; racemis terminalibus.

M. crassifolia, foliis obovatis acutis integerrimis subtus tomentosis; racemis terminalibus. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 735.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 132.

Copiosissime in arenosis.

Arbor. Floret toto anno.

BANISTERIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 780. JUSS. *Gen. p.* 252. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 167. t. 116.

Cal. 5-partitus, basi externe glandulis binis. Petala subrotunda, unguiculata. Filamenta basi cohaerentia. Noces 3, apice simpliciter alatae.

1. BANISTERIA ovata.

B. foliis oblongo-lanceolatis floralibus ovatis subtus pubescentibus basi 2-glandulosis; umbellis terminalibus axillaribusque simplicibus.

B. ovata, foliis ovato-lanceolatis subtus subvillosis, petiolis biglandulosis, ramis divaricatis, umbellis terminalibus. WILLD. *Sp. plant.* 2. p. 74.

ICON. CAVAN. *Dissert.* 9. t. 257. f. 1.

Copiose in sylvis et pascuis.

Frutex. Floret toto anno.

Descriptioni CAVAN. l. c. p. 429 addimus: Folia floralia a reliquis forma ovata l. subrotundo-ovata discedunt. Flores lutei. Stigmata uncinata. Pericarpia subrotunda, supra convexa subtus plana, processum rostriformem (stylus persistens) emittentia. Ossicula subrotunda, hinc plana, inde convexa.

2. BANISTERIA dichotoma.

B. foliis cordato-ovatis acuminatis glabris basi biglandulosis, umbellis axillaribus dichotomis, pedunculis elongatis.

B. dichotoma, foliis ovatis, racemis dichotomis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 741.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 9. t. 256.

Scandit in arboribus sylvarum.

Frutex. Floret Januario, Martio.

Ad descriptionem CAVANILL. l. c. p. 423 haec: folia omnia basi cordata. Alae magnae curvatae. Ossicula oblonga.

3. BANISTERIA fulgens.

B. foliis elliptico-oblongis subtus sericeo-villosis basi biglandulosis; umbellis dichotomis axillaribus terminalibusque, pericarpis villosis.

B. fulgens, foliis subovatis subtus tomentosis, racemis brachiatis pedunculis umbellatis. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 742?

In sylvis plantationis *Hamburg*.

Frutex. Floret Novembre.

Descript. Caulis scandens, volubilis, glaber. Rami teretes, cum petiolis pedunculisque pilis adpressis lutescenti-griseis villosi. Folia opposita, divergentia vel divaricata, elliptico-oblonga, pollices 4 — 4½ longa, 2 fere lata, integerrima, supra glabra, nitida, subtus pilis rigidiusculis adpressis lutescentibus sericeo-nitentibus tecta, basi biglandulosa; juniora utrinque villosa. Petioli fere pollicares. Umbellae oppositae axillares et terminales, pedunculis sesquipollicaribus suffultae, basi umbellam alteram lateralem vel duas oppositas emittentibus. Flores unius umbellae 8 — 12, radiis 2 — 3-linearibus, crassiusculis, bracteis binis ovatis, hinc inde deficientibus ornatis, suffulti. Calycis lacinae canescenti-villosae, glandulis parvis subrotundis lutescentibus. Petala lutea, venis rubris picta, lamina angulato-dentata. Stamina basi in annulum connexa. Ovaria villosa. Styli 3. Pericarpia erecta, villosa, nitida.

B. fulgens ex adumbratione ab ILL. LINNAEO in horto *Cliffort.* dedita, cum nostra stirpe non in omnibus exacte convenit, tamen ei certe quam maxime affinis.

TRIOPTERIS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 782. JUSS. *Gen.* p. 253. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 168. t. 116.

Cal. 5-partitus, basi externe glandulis binis. Filamenta basi cohaerentia. Noces 3, tri-vel quadrialatae.

1. TRIOPTERIS discolor. nob.

T. foliis oblongis acuminatis utrinque glabris subtus discoloribus; umbellis paniculatis terminalibus axillaribusque.

In sylvis arenosis plantationis *Sophienburg.*

Arbuscula. Floret Aprili et Majo.

Descript. Rami stricti, teretes, cortice fusco; ramuli cano-pubescentes. Folia opposita, firma, oblonga, acuminata, basi acuta, pollices 6—8 longa, 2—3 lata, integerrima, glabra, supra laete viridia, subtus ferruginea. Petioli glabri, purpurei. Glandulae nullae. Stipulae laterales, solitariae, oblongae, acutae, glabrae. Paniculae terminales et axillares, stricti, foliosi, multiflori: rami oppositi, foliis suffulti, inferiores iterum ramulis oppositis vel alternantibus aucti, superiores simplici. Flores in ramulorum apicibus umbellati, quaterni, radiis 3-linearibus, basi bractea singula, supra medium ad articulationem duabus oppositis ornatis suffulti. Pedicelli vix lineares. Calycis lacinae rotundatae, ciliatae, singulae excepta unica glandulis binis ellipticis notatae. Petala lutea; lamina oblonga, hastata, margine exasperata, ungue brevi. Stamina basi libera. Antherae oblongae obtusae. Ovarium villosum. Styli 3 apice leviter recurvatae. Noces 4-alatae, alis exterioribus duabus triplo majoribus, oblique rotundato-truncatis. Semina rotunda.

Differt: a *T. citrifolia*, foliis basi acutis discoloribus, nec cordatis unicoloribus; radiis umbellarum duplo brevioribus; floribusque minoribus:

a *T. acuminata* foliis longioribus, sensim acuminatis, nec acumine brevi producto apice obtuso praeditis; radorum conditione ut ab antecedente; alis oblique truncatis, nec aequalibus rotundatis. Nulli aliae affinis.

2. TRIOPTERIS pauciflora. nob.

T. foliis oblongo-lanceolatis utrinque glabris brevissime petiolatis; umbellis axillaribus folio brevioribus.

In dumetis plantationis *Sophienburg*.

Frutex. Floret Januario — Martio.

Descript. Frutex scandens. Rami teretes, glabri. Folia opposita brevissime petiolata, oblongo-lanceolata, semipedalia, bipollicari latitudine, integerrima, utrinque glabra, reticulato-venosa, supra nitida, subtus opaca, tenuissime punctata. Petioli lineas 3 longi, profunde canaliculati, supra pilis adpressis obsessi. Glandulae nullae. Umbellae compositae, axillares, foliis duplo breviores: rami pauci subpubescentes, bracteis in medio duabus oppositis, oblongis, obtusis, basi angustatis. Flores in apice ramorum 3—5 umbellati, pedicellis semipollicaribus insidentes, intermedio sessili. Calycis lacinae obtusae, omnes glandulis 2 ellipticis notatae. Petala lutea, lamina fimbriata. Stamina basi in annulum connata. Antherae subrotundae. Ovarium villosum. Styli 3 crassiusculi. Nuges oblongae, alis quatuor? Semina oblonga.

Observ. Generis *Triopteridis* character naturalis in *CEL. SCHREBERI* editione *Gen. plant.* tam mancus quam falsus. Conf. *CAVANIEL. Dissert.* 9. et *GAERTN. l. c.*

V. PENTAGYNIA.

SPONDIAS. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 786. JUSS. Gen. p. 372. GAERTN. Fruct. 2.
p. 101. t. 103.

Cal. 5-dentatus. Cor 5-petala. Drupa putamine 5-loculari.

1. SPONDIAS Myrobalanus.

S. petiolis teretibus, racemis folia aequantibus.

S. Myrobalanus, petiolis teretibus: foliolis nitidis acuminatis. WILLD

Sp. pl. 2. p. 751.

S. Mombin. RODSCH. *Observ. p. 86.*

ICON. SLOAN. *Hist. 2. t. 219.*

MERIAN. *Surin. t. 13.*

In sylvis continentis et insularum.

Arbor. Floret Majo, Octobri.

XI. DODECANDRIA.

I. MONOGYNIA.

RHIZOPHORA. LINN.

Gen. plant. ed SCHREB. n. 806. JUSS. *Gen. p.* 213. GAERTN. I.
p. 212. t. 45.

Cal. 4—8-partitus. Cor. 4—8-petala. Stigmata 2.
Sem. 1 longissimum, basi carnosum.

I. RHIZOPHORA racemosa. nob.

R. foliis obovato-oblongis obovatisque; racemis axillaribus
dichotomo-paniculatis.

In litoribus.

Arbor. Floret . . .

Descript. Rami dichotomi, patenti-divergentes, cortice rufescente glabro vestiti, teretes, apicem versus sensim incrassati, rugosi, et foliis delapsis cicatricati. Folia ad ramulorum apices congesta alterna, petiolata, coriacea, oblonga, basin versus sensim angustata, inferiora fere obovata, uncias 4—5 longa, 2 lata, integerrima, obsolete venosa, utrinque glabra, supra saturate viridia, subtus tenuissime tuberculata, punctis albidis adspersa, rufescentia? Petioli pollicares, crassi. Stipulae binae, lanceolato-oblongae; folia bina primo involventes, post earum evolutionem deciduae. Racemi in apice ramulorum e foliorum axillis, paniculati, quinque vel sexies repetito-dichotomi, articulati, multiflori. Rami et ramuli crassi, angulati, interiori latere sulco exarati, in utraque dichotomia e margine calyciformi sexdentato enati. Flores et fructus Rhizophorae Mangle, sed petala crocea, pilosa.

Inflorescentia composita haec stirps insigni modo a Rhizophora Mangle, cui ceterum similis, discrepat.

A a

CRENAEA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 807. JUSS. Gen. p. 332. LAM. Illustr. t. 407.

Cal. urceolatus, 4-fidus. Pet. 4 calyci inserta. Caps. 1-vel 5-locularis, polysperma.

I. CRENAEA repens. nob.

C. caule fruticoso repente, foliis oppositis spatulatis, pedunculis unifloris.

In arena mare inundata insulae *Arowabisch*.

Fruticulus. Floret per totum annum.

Descript. Caules fruticosi, prostrati, longe lateque supra arena procurrentes radicesque fibrosas ex axillis emittentes. Rami e nodis caulium erecti circiter pedales, tetragoni, cortice glabro e viridi in sanguineum vergente vestiti; ramuli breves, oppositi, rudimentis foliorum deciduorum subnodosi. Folia opposita, spatulata, lineas 6 longa, 3 superne lata, integerrima, glabra, nitida. Pedunculi laterales, interdum axillares, plerumque infrafoliacei, foliis breviores, ebracteati, uniflori. Flores pro ratione foliorum magni. Calyx inferus semiquadrifidus, laciniis ovatis, patentibus, post nuptias reflexis, persistentibus. Petala subrotundo-ovata, patentia, alba. Filamenta 12 — 15, calyci inserta, filiformia. Antherae pyramidatae, quadrangulae, quadrisulcatae, luteae. Ovarium superum, subrotundum. Stylus staminibus longior, oblique adscendens. Stigma subrotundum. Capsula subrotundo-ovata, rudimento styli apiculata, 1-locularis. Semina plurima, placentae columnari adhaerentia, oblonga, incurva.

Differt a C. maritima caulibus repentibus, foliis quadruplo-minoribus, pedunculis ebracteatis unifloris, floribus majoribus, et capsula 1-loculari.

AUBLETIUS Crenaeae maritimae capsulam 5-locularem attribuit, an satis recte observavit?

BLAKEA. BROWN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 810. JUSS. Gen. p. 328. LAM. Illust. t. 406.

Cal. duplex: inferus 6-phyllus vel 0, superus integer. Petala 6-8. Bacca? 6-locularis, polysperma.

1. BLAKEA triplinervia.

B. calyce exteriori nullo; foliis triplinerviis, pedunculis axillaribus 1-3 floris.

B. triplinervia, ecalyculata; foliis triplinerviis, pedunculis axillaribus subtrifloris. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 845.*

ICON. AUBL. *Guj. 1. t. 210 (mala).*

In sylvis.

Arbor. Floret Majo, Junio.

Observ. Fructus, quantum nobis e frustulis tantum visis conjicere licet, male pro capsula venditur, sed potius bacca est.

III. TRIGYNIA.

EUPHORBIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 832. JUSS. Gen. p. 385. LAM. Illust. t. 411.

Cal. 1-phyllus, ventricosus. Cor. 4 vel 5-petala, calyci insidens. Ovarium pedicellatum. Caps. 3-cocca, coccis 1-spermis.

† Fruticosae.

1. EUPHORBIA thymifolia.

E. caulibus procumbentibus, foliis lineari-oblongis basi obliquis serratis, capitulis axillaribus subsessilibus.

E. thymifolia, dichotoma, foliis serratis ovali-oblongis, capitulis axillaribus subsessilibus, caulibus procumbentibus. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 898. RODSCH. Observ. p. 60.*

ICON. PLUCK. *Alm. t. 113. f. 2.*

BURRM. *Zeyl. t. 105. f. 3.*

In sterilibus ad vias plantationis *Hamburg.*

Fruticulus. Floret toto anno.

Adumb. Radix ramosa, horizontalis. Caules procumbentes, ramosi, rarius dichotomi, pilosi, rubescentes. Folia opposita, sessilia, lineari-oblonga, obtusa, lineas 4 longa, 2 lata, basi obliqua, remote serrata, juniora subpilosa, adulta glabra, purpurascentia. Flores rubri, in capitulis paucis axillaribus, pilosis. Antherae luteae.

XII. ICOSANDRIA.

I. MONOGYNIA.

CACTUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 838. JUSS. Gen. p. 311. GAERTN. Fruct. 2. p. 265. t. 138.

Cal. 1-phyllus, superus, imbricatus. Cor. multiplex. Bacca 1-ocularis, polysperma.

† Opuntia.

1. CACTUS Phyllanthus.

C. prolifer, ensiformi-compressus, serrato-repandus. WILLD.

Sp. pl. 2. p. 946.

ICON. DILL. *Elth. t. 64 f. 74.*

PLUCK. *Alm. t. 247. f. 5.*

In sylvis continentis et insularum.

Arbuscula. Floret . . .

Bacca e foliorum serraturis orta oblonga, 6-angulata, 6-sulcata, 1-ocularis, polysperma.

PSIDIUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 841. JUSS. Gen. p. 324. GAERTN. Fruct. 1. p. 134. t. 27. (Nolitris.)

Cal. 5-fidus, superus. Petala 5. Bacca 1-ocularis, polysperma.

1. PSIDIUM pyriferum.

P. foliis elliptico-oblongis subtus pubescentibus pedunculis solitariis WILLD. *Sp. pl. 2. p. 997. RODSCH. Diar. Balding. Fasc. 28. p. 78.*

ICON. COMMEL. *Hort.* 1. t. 63.

RHEED. *Malab.* 3. t. 34.

Copiose in arenosis.

Arbor. Floret per totum annum.

Corolla caduca, 4 — 5 petala. Stamina longitudine fere petalorum, patentissima. Stylus subulatus. Stigma capitatum.

EUGENIA. MICH.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 842. JUSS. *Gen.* p. 324. LAM. *Illust.* t. 418.

Cal. 4-partitus, superus. Petala 4. Bacca 1-locularis, 1-sperma.

I. EUGENIA Mini.

E. foliis oblongis acuminatis basi attenuatis integerrimis; pedunculis subracemosis axillaribus folio brevioribus.

E. Mini, foliis integerrimis oblongo-lanceolatis acuminatis, pedunculis axillaribus multifloris subracemosis folio brevioribus. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 964.

ICON. AUBL. *Guj.* t. 197.

In sylvaticis.

Arbuscula. Floret Decembri.

Observ. Generum Eugeniae et Myrthi characteres hucusque valde vacillantes, nec non amborum generum plurimae species denuo examinandae, et stabilioribus characteribus in genera distribuendae.

MYRTHUS. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 844. JUSS. *Gen.* p. 324. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 184. t. 38.

Cal. 5-(4) fidus, superus. Petala 5 (4). Bacca 2 vel 3-locularis, polysperma.

1. MYRTHUS carnea. nob.

M. racemis paniculatis folio brevioribus axillaribus terminalibusque geminis, foliis oblongo-lanceolatis acuminatis.

Passim.

Frutex. Floret . . .

Descript. Rami virgati, cortice lutescenti-incano vestiti, juniores pallide ferruginei, puberuli. Folia opposita, firma, suprema oblongo-lanceolata, pollices 3—3½ longa, 1 lata, inferiora sensim breviora, oblonga, omnia acuminata, apice extremo obtusiusculo, basi paulo in petiolum attenuata, integerrima, utrinque glabra et subopaca, costa venisque reticulatis parallelis supra exaratis subtus elevatis; juniora supra elevato-punctata. Petioli trilineares, profunde canaliculati. Racemi ex axillis foliorum, plerumque gemini, paniculati, foliis duplo breviores, ramis inferioribus ramosis, superioribus sensim brevioribus simplicibusque, omnibus patentidivergentibus, tenuiter tomentosus. Flores solitarii, bini vel terni, pedicellis brevissimis insidentes, intermedio sessili. Bractee 2 ad basin calycis obsoletae et deciduae. Calyx 5 fidus, tomentosus, tubo lutescenti-cano, laciniis oblongiusculis obtusis, una cum petalis subrotundis pubescentibus antheris que carnis.

Pone *M. virgultosam* a qua calycibus 5-fidis florum colore etc. differt, systemati inserenda. Proxime affinis est *Eugenia divaricata* LAM. *Encyc. meth.* 3. p. 202. n. 21. quae ex nostra sententia a *Myrtho virgultosa* non diversa.

2. MYRTHUS sylvatica. nob.

M. racemis paniculatis folia aequantibus axillaribus terminalibusque solitariis; foliis elliptico-ovatis longe acuminatis.

In sylvis continentis, inprimis circa rivum *Arowabiskreek*.

Frutex. Floret Octobri.

Descript. Arbuscula tripedalis circiter, ramosissima. Rami patentes, teretes, glabri, juniores tenuissime pubescentes. Folia opposita, coriacea, divergentia, elliptico-ovata, longe acuminata, acumine obtusiusculo,

uncias $1\frac{1}{2}$ — 2 longa, lineas 6 — 9 lata, integerrima, subciliata, venosa, venis dense approximatis obsoletissimis, glabra, supra nitida et impresso-punctata; juniora subtus subpubescentia. Petioli vix lineam longi, canaliculati, pubescentes. Racemi paniculati, versus ramulorum apices congesti, terminales et axillares, solitarii, foliorum longitudine; rami oppositi, patentes; ramuli ut plurimum terni, bifidi, ad ramificationes pilis tenerrimis adspersi. Flores in utroque ramulo 2 — 3 brevissime pedicellati; tertius, si adest, in dichotomia sessilis. Bractee nullae (an caducae?) Calyx 5-fidus ut corolla pubescens, laciniis ovatis, obtusiusculis. Petala 5 calyce duplo majora, subrotunda, concava. Filamenta capillaria, petalis paulo longiora. Styli 3 longitudine staminum, crassiusculi.

PUNICA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 847. JUSS. *Gen.* p. 325. GAERTN. *Fruct.* I. p. 183. t. 38.

Cal. 5-fidus, superus. Petala 5. Pomum 1-loculare, polyspermum.

1. PUNICA nana.

P. foliis linearibus, caule fruticoso. WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 981, ICON. CURT. *Mag.* t. 634.

An allata ex *Antillis*?

Frutex. Floret . . .

Fructus edules sunt. Eorum cortex contra dysenteriam in usu est.
(OTTERB.)

CHRYSOBALANUS. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 850. JUSS. *Gen.* p. 340. LAM. *Illust.* t. 428.

Cal. inferus campanulatus, 5-fidus. Pet. 5. Stylus lateralis. Drupae putamen ovatum 5-sulcatum, 5-valve, 1-spermum.

1. CHRYSOBALANUS pellocarpus. nob.

C. foliis subrotundo-obovatis obovatisve, racemis dichotomis, pedicellis ultimis bifloris fructibus ovalibus fuscis.

C. Icaco. δ WILLD. *Sp. pl.* 2. p. 998.

C. fruticosus, foliis orbiculatis alternis, floribus laxe racemosis. BROWN. *Jam.* 250. (*species fructibus nigricantibus*).

Icaco fructu nigro PLUM. *Gen.* 44?

ICON. BROWN. *l. c. t.* 17. *f.* 5.

Copiose in arenosis maritimis insulae *Arowabisch*.

Arbuscula. Floret . . .

Differt nostra planta ab C. Icaco JACQ. foliis subrotundo-obovatis vel obovatis, basi in petiolum attenuatis, nec subrotundis, basi rotundatis; petalis staminibus exsertis duplo brevioribus, nec staminibus inclusis longioribus; fructibus minoribus, Rosae caninae fructuum magnitudine, ovatis, profunde fuscis (RODSCH.) laevibus, nitidis, pilis raris adpersis; nec subrotundis, e luteo rubris. Icon BROWNI optima.

V. POLYGYNIA.

ANTHODISCUS. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. planus, subintegerrimus, persistens. Pet. 5 oblonga.

Bacca supera subrotunda, depressa, umbilicata.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium inferum, rotundum, planum, subintegerrimum, persistens.

Cor. Petala 5 oblonga, acuminata, concava, caduca.

Stam. Filamenta numerosa (110 — 120) capillaria, corolla dimidio longiora, tortuosa, annulo calycino germen cingenti inserta. Antherae minutae, subrotundae, erectae, didymae.

Pist. Ovarium superum, subrotundum, depressum, striatum. Styli plures (14 — 20) subulati, apicibus curvatis. Stigmata acuta.

Pericarp. Bacca corticata? (aut capsula) subrotunda, depresso-plana, umbilicata, radiatim sulcata.

Sem. . . .

HABITUS.

Arbor. Folia sparsa, ternata. Racemi terminales, simplicissimi, foliorum longitudine. Flores sparsi, approximati. Fructus baccatus.

AFFINITAS.

Differt a *Myrtho*, *Eugenia* et *Psidio* pistillis numerosis, fructu supero, stylis umbilicato: ab *Acacia* et congeneribus fructu: a *Phytolacca*, cui quoad fructum affinis calycis praesentia, petalis caducis, filamentis, antherisque.

ETYMOLOGIA.

Nomen derivamus ab *avdos* - flos, et *disxos* - discus, ob calycis indolem.

Observ. Nil nisi fructus incompletos disquirere nobis licuit; fabrica eorum interna et seminis natura igitur supplendae sunt.

1. ANTHODISCUS trifoliatus. nob.

In siccis plantationis *Sophienburg* rarius.

Arbor. Floret Augusto.

Descript. "Arbor trigintipedalis." Ramuli teretes, glabri. Folia sparsa, ternata, petiolata: foliola oblonga, acuminata, basi in petiolum brevissimum subcauliculatum attenuata, pollices 3 — 4 longa, serrato-crenata, crenis obsolete remotis, venosa, utrinque glabra, supra nitida. Petiolus communis fere pollicaris, subtus convexus, supra planiusculus et lineatus. Racemi terminales, vix foliorum longitudine, simplicissimi. Flores sparsi, approximati, pedicellati. Pedicelli 2 — 3 lineas longi, crassiusculi, teretes, infra medium bracteolis duabus oppositis, ovatis, acutis, margine subpellucidis ornati. Calyx inferus, subcoriaceus, rotundus, fere planus, per lentem incisuris 5 obsolete praedictus, glaber. Corolla viridis: petala oblonga, acuminata, concava.

caduca. Filamenta basi libera, capillaria, ante anthesin incurvato-complicata, deinde erecta, tortuosa, alba. Antherae minutae, didymae, flavae. Ovarium subrotundum, medio depressum, stylis 14 — 20 compresso-subulatis, apice incurvatis coronata. Stigmata minuta, acuta. Fructus figura Malvae rotundifoliae fructuum.

Hosce flores odoratissimos ex arbore trigintipedali in siccis plantationis Sophienburg rarius crescente et sub finem Augusti florente legi etc.

RODSCH.

XIII. POLYANDRIA.

I. MONOGYNIA.

DRACONTIUM.

(DRACONTII LINN. species.)

Gen. plant. ed. SCHREB n. 630. JUSS. Gen. p. 24. LAM. Illust. t. 738.

Spatha cymbiformis. Spadix cylindricus, floribus tectus. Calyx 5—7 partitus. Cor. o. Ovarium 3-loculare, loculis 1-spermis. Bacca 1—3-sperma.

I. DRACONTIUM sagittifolium.

D. acaule, foliis sagittatis, spatha spadice longiora lanceolata acuminata, calycibus 6-partitis.

Arum sagittifolium. RODSCH. *Observ. p. 30.*

Pothos sagittifolia, foliis repando-sagittatis; petiolis longissimis scabris; spicis brevibus, spatha longissima acuminata. RUDG. *Pl. rar. Guj. p. 24?*

ICON. RUDG. *l. c. t. 34?*

In locis humidis et ad margines fossarum plantationis *Hamburg*.
Perennis. Floret Septembri, Octobri.

En specimen in omnibus partibus fere absolutorum et optime conservatorum descriptionem!

Descript. Planta acaulis 4—5 pedalis. Folia sagittata acuminata, exceptis lobis uncias 10—12 longa, 5 lata, — lobis folii superioris partis fere longitudine, patentibus, lanceolatis, basin versus angustatis sinu amplo, ad petioli insertionem rotundato, integerrimo, — nervoso-venosa, glabra, viridia. Petioli 3-pedales, teretes, laeves. Scapus foliis longior, teres. Spatha 12—15 uncialis, e basi ovata, pollices 2½ lata, longissime acu-

minata, superne contorta, nervo valido percursa, interne alba, externe e viridi rubra. Spadix cylindricus, pollices 2—3 longus, semipollicem fere crassus, apicem versus paulo tenuior, obtusiusculus. Calyx 6-partitus, laciniis ovato-subrotundis. Stamina 6 vel 8. Filamenta membranacea, brevissima, saturate sanguineo-carminea. Antherae elliptico-subrotundae, didymae, croceo-ochraceae, ante pollinis ejaculationem stigmati adnatae, evacuatae cylindriculos duos connatos referentes. Ovarium subrotundum. Stylus o. Bacca obsolete tetragona, stigmatate coronata.

Stirps a CEL. RUDGE l. c. optime delineata et adumbratione brevi illustrata, habitu, foliorum forma, venarum conditione, spatha spadiceque figura cum nostra bene convenit, ut vix diversam esse credere possumus; tamen sinus folii laciniarum angustatus in icone sistitur, in nostris specimenibus autem amplius est et rotundatus. Petiolos radulae in modum scabros descripsit auctor, nobis laeves sunt, et exsiccatione tantum, sulcati, ut etiam icon citata eos sistit. Porro flores tetrapartiti delineati sunt, dum in nostris specimenibus evidentissime 6-partiti.

CALLA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1388. JUSS. Gen. p. 24. GAERTN. Fruct. 2. p. 20. t. 84.

Spatha monophylla. Spadix cylindraceus, floribus undique tectus. Cal. o. Cor. o. Ovarium 1-loculare. Bacca polysperma.

I. CALLA Dracontium.

C. caule scandente, foliis ovato-oblongis subcordatis pertusis. Dracontium pertusum, caule scandente, foliis cordato-ovatis pertusis. WILLD. *Sp. pl. 2. p. 289.*

ICON. JACQ. *Hort. Schönb. 2. t. 184. 185.*

PLUM. *Amer. t. 56. 57.*

Copiose in arboribus insulae *Arowabisch* scandens.

Frutex. Floret Augusto.

Spatha in nostro specimine pedunculata e petioli latere introrsum oriens, coriacea, pollices 8 longa. Spadix pollices 5 longus, digiti fere crassitie. Calyx et corolla nulla; quare omni jure Callae generi et non Dracontiis adnumeranda est haec stirps.

NYMPHAEA. SMITH.

SM. *Prodrom. Flor. graec.* 1. p. 360. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 72. t. 19. f. 1.

Cal. 4—5-phyllus. Petala plurima cum staminibus infra stigma receptaculo germen includenti inserta. Glandula nectarifera in medio stigmatate.

I. NYMPHAEA Rudgeana nob.

N. foliis peltatis subrotundis dentatis supra tuberculatis, lobis patentibus, calycibus enerviis, staminibus petala subaequantibus.

N. foliis amplioribus profunde crenatis subtus areolatis. BROWN. *Jam.* p. 243.

N. indica, flore candido, folio in ambitu serrato. SLOAN. *Jam.* p. 120. *Hist.* 1. p. 252. RAJ. *Suppl.* p. 630.

In rivulis continentis.

Perennis. Floret Octobre.

Observ. 1. Jam CEL. WILDENOWIUS in *specieb. plant.* 2. p. 1154 monuit, Nymphaeam Lotum occidentalem ab orientale differre videri. Specimina americana a RODSCHEIDIO lecta et bene exsiccata rem sic esse omnino demonstrant. Differt nempe planta americana, nobis N. Rudgeana salutata, ab aegyptiaca statura minori et tenuiori; foliis duplo triplove minoribus, supra tuberculis minutis dense adspersis, nec laevibus; lobis haud rectis approximatis, sed patentibus, apicem versus obliquis sive ab interiore latere subtruncatis, foliis junioribus aequae ac adultis dentatis, nec junioribus subintegerrimis, dentibus nec acuminatis; calycis foliolis oblongis enervibus, nec ovato-oblongis multinervibus; staminibus exterioribus longitudine fere petalorum, nec tertia parte brevioribus.

Diagnosis et synonyma N. Loti nunc haec esse debent.

N. Lotus, foliis peltatis subrotundis argute dentatis laevibus, lobis approximatis rectis, calycibus nervosis, staminibus petalis brevioribus.

N. foliis cordatis dentatis *Fl. Zeyl.* 194. HASSELQ. *It.* p. 471.

Lotus aegyptia ALP. *Aegypt.* p. 103. *Exct.* p. 214.

Ambel. RHEED. *Mal.* 11. p. 51.

ICON. WALDST et KIT. *Plant. rar. Hung.* t. 15.

ALPIN. *Aegypt.* t. 213. 216. 218. 220. 222. 226.

RHEED. *l. c.* t. 26.

Observ. 2. Britanniae summo maris imperio potitae, populisque orbis terrarum vel remotissimis re et ratione conjunctae, jam ex antiquissimis temporibus optima occasio ad thesauros rerum naturalium accipiendos et colligendos data fuit. Quae cum naturae indagatoribus summis et artificibus ingeniosissimis fecunda sit, nec non opibus tam publicis quam privatis, quae sumtus in libros iconesque edendas — licet maximos — faciendos affluat; mirum videri sane non debet, quod permagnam partem operum, quae scientiae gravissimis et splendidissimis adnumeranda, Anglis debeamus. Etiam si tamen et aliae terrae interque eas Gallia praecipuis quae cum Britannia conferantur dignissimae sint, Britannia tamen ante omnes observatori eo conspicua redditur, quod et Feminae in studio botanico fovendo atque excolendo excellent, et patriae operibus botanicis nitorem inducere cum vero eruditionis artisque amore cordi habeant. Supra solita feminarum negotia evectae literarum studium juvant, et egregiis factis saeculi decorem extollentes, integram sui memoriam gratae posteritati relinquunt.

Jam ante multos annos ELISABETHA BLACKWELL, et seriori tempore CELEBERRIMA LAVRANCE operibus, quae classicis haud immerito adnumeranda, famam sibi paraverunt. — Nobilis virgo HUTCHINS nuperrime Bontajae in Hibernia defuncta, a CLAR. ROB. BROWN in *Hort. Kew. Tom. 4. p. 82.* instituto genere *Hutchinsia*, nec non a CLAR. HOOKER in *Jungermanniae* generis splendidissima Monographia, cui titulus *British Jungermanniae. London. 1816.* in tabula prima

proposita Jungermannia Hutchinsiae sempiternae memoriae tradita, botanices adeoque difficillimae hujus partis cryptogamiae studium ferventi amore coluit. Plures novas stirpes detexit, aliasque primum in Britannia legit, et sic egregia additamenta ad opus, cui titulus *English Botany* exhibuit. Herbarium insigne collegit, quod nunc una cum relicta copia elegantissimarum iconum et analysium plantarum ab ea ipsa delineatarum in manus CLARISSIMI DAWSONIS TURNER pervenit. Plures tabulae in illius opere magnifico quod inscriptum: *Fuci, sive plantarum fucorum generi a botanicis adscriptarum icones, descriptiones et historia. Londini. 1803 seq. Vol. 1—4.* a CELEBERRIMA HUTCHINS depictae sunt. (*conf. t. 135. 187. 196. 227. etc.*). Eodem modo CEL. DILLWYN opus, cui titulus *British Confervae. London. 1809.* per eam adornatum est.

Sed et inter nunc viventes feminas plures eximio rei botanicae amore atque felicissimo in plantis delineandis ingenio eminent. Liceat nobis nonnullarum nomina cum honoris praefatione hic commemorare.

Domina ANNA RUDGE, UXOR ILLUSTRIS EDUARDI RUDGE Londini, femina nobilissima et ornatissima, cujus in gratiam Nymphaeam Rudgeanam nostram nominavimus, omnes icones ad opus mariti, cui titulus *Plantarum Gujanae icones et descriptiones hactenus ineditae. Lond. Vol. 1. 1805.* pertinentes, summa artis laude concinnavit. Quarum iconum elegantissimarum indolem habitumque naturae fidissimum, an exactitudinem botanicam qua delineatae sunt, magis admireris, vix constare videtur. Ad secundam etiam partem operis dicti icones jam ab ea confectae sunt. Nec non delineationes in *Vol. X. Transact. Societ. Linn.* ad commentationem *A Description of several Species of Plants from New Holland. p. 283* tradidit.

Domina MARIA TURNER, UXOR viri clarissimi de re botanica meritiissimi DAWSONI TURNER Yarmouthi, femina varia multiplicique rerum cognitione imbuta, in edenda quam supra memoravimus *Fucologia* delineationibus elegantissimis, quibus eam condecoravit, eximiam laudem reperit. Tabulae quas delineavit et accuratissimis fructificationis

partium analysibus illustravit, literis M. T. inscriptae sunt, et ad optimas operis pertinent. (*conf. tab. 100. 136. 140. 141. 145. 151. 157. 166. 171. 194. etc.*)

Filiae ejus amabiles MARIA TURNER, CONJUX CELEBERRIMI HOOKER Halesworthi et ELISABETHA TURNER Yarmouthi parentium non modo ingenium, verum etiam cultum et eruditionem referunt. Ab ineunte aetate altioribus literis artibusque deditae, botanices etiam studium coluerunt. Domina HOOKER plures novos muscos invenit, et tam ea ipsa quam soror supra memorata magnam copiam iconum hucusque ineditarum muscorum frondosorum et hepaticorum partim delineaverunt, partim per matrem in chalcographia eruditae aeri inciderunt.

Praeter nobiles feminas, quas insigni modo de re botanica meritis hic nominatim exhibere nobis licuit, in opere Britanniae maximum decus adferente, quod inscriptum *English Botany, or coloured Figures of british Plants etc. auct. EDW. SMITH et JAM. SOWERBY Vol. I—XXXIV London 1780 seq.* plura exempla commemorata leguntur, quibus feminae, plantis rarioribus observatis vel communicatis libri editoribus faverunt.

2. NYMPHAEA blanda nob.

N. foliis membranaceis elliptico-subrotundis cordatis superne tuberculatis, lobis obtusissimis, petalis acuminatis calyce brevioribus.

N. glandulifera. RODSCH. *Observ. p. 76.*

In stagnis et rivulis.

Perennis. Floret . .

Adumb. Folia membranacea, elliptico-subrotunda, 5 vel 6-pollicaria — lobis rectis subrotundatis — integerrima, nervoso-venosa, nervis 10—13 radiatim excurrentibus, inferne (an etiam in planta viva?) canaliculatis, supra tuberculis minutis adspersa, laete viridia. Petioli longi, pennae gallinaeae crassitie, teretes? Flores pedunculis elongatis petiolis crassioribus suffulti, diametro tripollicari, Nymphaeae albae facie. Calyx tetraphyllus: foliolis oblongis versus apicem paululum attenuatis.

latitudine inter se inaequalibus, enerviis, laevissimis, glabris, viridibus. Petala duplici serie, utriusque 8, calyce parum breviora, oblonga, acuminata, exteriora 3 dorso virescentia, facie alba, interiora sive superiora exterioribus duplo fere angustiora, utrinque alba. Stamina lanceolata exteriora petalis tertia parte circiter breviora, omnia obtusa, alba, apice exteriore lutea. Antherae geminae, sulco longitudinali a se invicem separatae, lineares, biloculares, flavae. Stigma radiatum.

Differt *Nymphaea blanda* a *Nymphaea nitida* sm. in *Curt. Mag. Tom. 33. p. et t. 1359*, in Sibiria crescente, cui inter omnes maxime affinis, foliis tenuioribus, calyce viridi nec colorato, petalis acuminatis calyce brevioribus; a *Nymphaea odorata* foliorum facie ut ab antecedente, nervis canaliculatis nec eminentibus, petalis calyce brevioribus, antherisque duplo longioribus; a *Nymphaea alba* tandem, foliis membranaceis, lobis rotundatis, petalis acuminatis etc.

Nomen *RODSCHIO*, stigmatis radios pro glandulis habente, huic stirpi impositum, quia ex errore prodiit, rejecimus.

BIXA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 887. JUSS. Gen. p. 293. GAERTN. Fruct. 1. p. 292. t. 61.

Cal. 5-phyllus, glandulis 5 tumidis externe ad basin.
Cor. 5 petala. Capsula setosa, 2-valvis, polysperma.

I. BIXA Orellana.

B. Orellana. WILLD. *Sp. plant. 2. p. 1154.*

ICON. JACQ. *Hort. Schönb. 4. t. 483.*

SLOAN. *Hist. 2. t. 131. f. 1. (rudis).*

In continente ad rivum *Supanama*.

Frutex. Floret Octobri.

Observ. Character genericus in omnibus nostris rei herbariae compendiis pessumus, (Cor. 10-petala. Calyx 5-dentatus. Caps. hispida) ut sane miris adnumeranda res sit, si quis plantam ex eo noscat. Flo-

rum igitur descriptionem addimus. Cal. 5-phyllus, foliolis subrotundo-ovatis, concavis, subpubescentibus, purpurascenti-fuscis, singulis basi externe glandula magna coriacea subrotunda viridi persistente firmatis. Corollae petala 5 calycis magnitudine obovata, vix levissime retusa, concava, carnea. Filamenta numerosa, capillaria, disco annulari ovarium cingenti inserta, inferne lutea superne carnea. Antherae subrotundo-obovatae, apice bifidae, hinc convexae, sulcis 4 notatae, inde planiusculae, carnae. Ovarium superum, ovatum, setulis tectum. Stylus staminibus duplo longior, compressus, incurvatus. Stigma crassum, oblongum, planiusculum, superne paulo dilatatum, apice breviter attenuatum.

CEL. JACQUINUS. l. c. in specimine culto calycem corolla duplo breviorē delineavit et descripsit; in nostra planta spontanea autem calyx corollam aequat.

CLUSIA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1584. JUSS. Gen. p. 256. LAM. Illust. t. 852.

Cal. imbricatus, 4—6 vel 8-phyllus. Cor. 4—6 vel 8-phylla. Stigma radiatum. Capsula 5-locularis, 5-valvis, pulpa farcta. (*Polygama.*)

I. CLUSIA nemorosa. nob.

C. foliis oblongo-obovatis acutis approximato-venosis, corollis tetrapetalis calyce majoribus.

In sylvis insulae *Wacanama*.

Arbor. Floret Novembri.

Descript. Arbor. Folia opposita, coriacea, oblongo obovata, acuta, integerrima, costa intermedia valida et venis obsoletis, dense approximatis, parallelis, subtus tantum tenuissime ramulosis percursa, utrinque glaberrima. Petioli semipollicares, glabri. Racemi semipedales, pauciflori, pedunculo crasso, ramis brevibus oppositis, patentibus, angulatis, striatis, glabris, basi bractea coriacea, ovata, concava suffulti. Calyx 6—8-

phyllus, foliolis coriaceis, subrotundo-ovatis, coloratis, exterioribus 2 vel 4 reliquis duplo brevioribus. Corolla magna tetrapetala, alba, interne purpurea: petalis ovatis, obtusis, concavis. Stamina sterilia subulata fertilibus intermixta. Filamenta brevissima. Antherae oblongae, acuminatae. Stylus o. Stigma crassum radiatum, viscosum. Fructus deest.

Affinis *C. roseae* et *C. venosae*. Differt ab illa foliis acutis, inflorescentia racemosa et floribus tetrapetalis; ab hac foliorum forma et venarum conditione, nec non calyce 6 — 8-phylo.

LEGNOTIS. SW.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 900. JUSS. Gen. p. 432. SW. Prodr. Ind. occid. p. 84. t. 17.

Cal. 5 vel 6 fidus. Cor. 5 vel 6-petala, receptaculo inserta, fimbriato-lacinulata. Caps. 3-locularis.

I. LEGNOTIS Cassipourea.

L. foliis ovalibus acuminatis, floribus subsessilibus.

L. Cassipourea, foliis ovatis, floribus sessilibus. WILLD. *Sp. plant.* 2. p. 1171.

ICON. AUBL. *Guj. 1. t. 211 (quoad analyses mala).*

In sylvis siccis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret a Decembre ad Julium.

Cum excepta AUBLETII manca nulla adsit hujus stirpis descriptio, nostram hic botanicis offerimus.

Descript. "Arbor procera, elegans, ramosissima," cortice rugoso, griseo-vestita. Ramuli teretes, glabri; annui pubescentes. Folia opposita brevissime petiolata, patentia, subcoriacea, ovalia, integerrima, venosa, utrinque glabra. Petioli 2 — 4 lineas longi. Stipulae inter petiolos solitariae, oblongae, acuminatae, una cum petiolis pubescentes, deciduae. Flores 4 — 6 in axillis conglomerati, subsessiles. Bractee ad calycis

basin nonnullae imbricatae, minutae, ovatae. Calyx coreaceus, campanulatus 5 l. 6 fidus, externe glaber, interne lutescenti-sericeus, laciniis acutis. Petala calyce subduplo longiora, obovato-cuneata, unguiculata, alba, decidua: lamina subpubescente lacinulata, lacinulis filiformibus, flexuosis, eleganter plumosis. Filamenta 20 filiformia, petala paulo superantia, annulo ovarium cingenti extrorsum adnata. Antherae incumbenti-erectae, oblongo-subrotundae, biloculares, luteae. Ovarium ovatum. Stylus staminibus paulo longior, subulatus, sericeo-villosus. Stigma obtusum, planiusculum. Capsula ovata, in stylum persistentem acuminata, 3—valvis. Semina solitaria, oblonga, hinc angulata inde convexa.

Observ. 1. Ante anthesin petalorum lacinae plumosae in sinu eorum inflexae latent. — Stylus peracta foecundatione excrecit.

Observ. 2. Legnotin ellipticam Sw. vix a Legnoti Cassipourea diversam opinamur, nam foliorum figura eadem est, nec non structura florum eadem ac in hac, in qua flores nec minus brevissime pedicellati sunt.

IV. TETRAGYNIA.

TETRACERA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 930. JUSS. *Gen.* p. 339. GAERTN. *Fruct.* I. p. 336. t. 69.

Cal. 5 vel 6 phyllus. Cor. 4—5 petala (vel 0?) Capsulae 4 longitudinaliter dehiscentes, 1-spermae. Sem. arillata.

† Floribus monogynis.

1. TETRACERA cuspidata. nob.

T. pedunculis fasciculatis axillaribus unifloris, foliis ovalibus cuspidato-serratis subtus tomentosus.

In sylvis siccis insulae *Arowabisch*.

Arbuscula. Floret Septembri.

Descript. Rami debiles, subflexuosi, teretes, cortice rimoso, glabro, dilute ferrugineo in canescentem vergente vestiti. Folia alterna, ovalia, inferiora ovali-oblonga, pollices 7—9 longa, $3\frac{1}{2}$ —4 lata, in acumen cuspidatum producta, basi acuta, inferiora leviter in petiolum attenuata, inferne integerrima, a medio grosse serrata, serraturis semipollicaribus cuspidatis, costato-venosa, supra glabra, subtus tomento adpresso tenerimo tecta. Petioli sesquiunciales, canaliculati, glabriusculi. Flores axillares, fasciculati, parvi. Pedunculi semunciales, capillares, pubescentes, uniflori. Calyx 5-phyllus, marcescens: foliolis subrotundis, concavis, pubescentibus, flavo-ferrugineis, exterioribus 3 interioribus minoribus. Corolla o. (an caducissima?). Filamenta calycem paulo superantia, capillaria, subincrassata. Antherae erectae, obovatae. Ovarium subrotundum, glabrum. Stylus staminibus brevior, crassiusculus, incurvus. Stigma orbiculatum, planum.

Folia simillima *Tetracerae tomentosae* foliis, ex icone AUBLETII (*T. 2. t. 351. sine flores*); a qua diversa non habuimus, si non AUBLETII inflorescentiam et flores a nostris diversos suae stirpi attribueret. An fides illius descriptioni nimis brevi et incompletae habenda sit, tempus futurum docebit.

XIV. DIDYNAMIA.

I. GYMNOSPERMIA.

HYPTIS. JACQ.

Gen. plant. ed SCHREB. n. 969. JUSS. *Gen.* p. 449. *Annal. Mus. hist. nat.*
Paris. 7. p. 459. t. 27.

Cal. 5-dentatus. Cor. ringens: labium inferius genitalia lacinia sacciforme involvens, deinde reflexum. Stamina declinata.

1. HYPTIS globifera. nob.

II. floribus capitatis, pedunculo internodiis multoties brevior, bracteis lanceolatis calycem fructiferum superantibus; foliis ovalibus utrinque acuminatis.

In sylvis humidis plantationis *Hamburg.*

Suffrutex. Floret Januario, Martio.

Descript. Caulis tripedalis, ramosus, tetragonus, scaber inferne laevis. Folia opposita, ovalia, acuminata, basi longe attenuata, pollices 5 — 6 longa, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lata, inaequaliter serrata, utrinque imprimis subtus scabra. Pedunculi axillares, internodiis triplo quadruplo breviores, pollicares, ut involucria et calyces pubescentes. Florum capitula subrotunda, Pruni spinosae fructibus minora. Involucri foliola lanceolata, calyce fructifero paulo longiora, integerrima. Calyx tubulosus, rectus, decemstriatus, venis raris transversalibus elevato-reticulatus, dentibus subulatis, rectis. Corolla alba: labio superiori obtuso emarginato; inferiori trifido, laciniis deflexis, intermedio lateralibus duplo majore calceiforme, emarginato. Semina oblonga, obtusa, nigra.

Differt ab Hyptide capitata, cui affinitate proxima, cujusque specimina americana spontanea comparavimus, pedunculis internodiis multoties

brevioribus, bracteis calyce fructigero longioribus, capitulis minoribus, calycis laciniis non obtusis sed subulatis. Quomodo ab *H. breviped* POIT. *Monog.* p. 465. et *H. radiata* differt, e descriptione satis patet.

2. HYPTIS spicata.

H. racemis elongatis, floribus capitato-conglomeratis, calycibus fructigeris medio angustatis; foliis rhombico-ovatis acuminatis.

H. spicata, spicis terminalibus: floribus congestis bracteatis: pedunculo bipartito. Foliis ovatis, acuminatis. POIT. Monog. l. c. p. 474.

ICON. POIT. *l. c. t. 28. f. 2. (optima).*

In nemorosis.

Annua? Floret . . .

Neque inflorescentia spicam refert, ut vult CEL. POIT. sed racemum, neque pedunculi bipartiti sunt, sed apice subbifidi, in florum capitulis infimis luxuriantibus tantum bifidi, in plurimis omnino indivisi.

3. HYPTIS pectinata.

H. racemis paniculatis, pedunculis geminis, floribus unilaterialibus; foliis ovatis subcordatis.

H. pectinata, spica aut panicula terminali: floribus secundis, duplici ordine in pedunculo bipartito, digestis. Foliis cordatis. POIT. l. c. p. 474.

Ballota disticha. RODSCH. Observ. p. 35.

Ballota suaveolens RODSCH. BALD. Diar. Fasc. 28. p. 79.

Bystropogon pectinatum. WILLD. Sp. pl. 3. p. 71.

ICON. POIT. *l. c. t. 30.*

In arenosis copiose.

Frutex. Floret per totum annum.

Quarta adhuc Hyptidis et quidem nova species inter plantas Rodscheidianas occurrit, quam ob specimina incompleta describere non ausi sumus.

Observ. Monemus Monographiam Hyptidis gen. a CEL. POITEAU l. c. exhibitam minime omnia dubia et controversias quae in descriptionibus ac imprimis in synonymis specierum hujus generis scrutatori lucusque occurrebant, sustulisse et solvisse. Cui juvat hac re convinci, conferat v. c. auctorum Hyptidis capitati descriptiones et icones ibi citatas.

II. ANGIOSPERMIA.

TAMONEA. AUBL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 42. JUSS. Gen. p. 109. GAERTN. Fruct. Suppl. I. p. 173. t. 213.

Cal. 5-dentatus. Cor. tubulosa, bilabiata. Drupa sicca, putamine 4-loculari. Sem. solitaria.

1. TAMONEA curassavica.

T. fructibus quadrispinosis.

T. curassavica, fructu quadrispinoso, foliis serratis glabris. PERS. *Syn. 2. p. 139.*

ICON. BANKS. *Reliq. Houst. t. 2.*

PLUCK. *Phytog. t. 234. f. 4.*

In dumetis locis sabulosis.

Annua. Floret fere toto anno.

BIGNONIA. JUSS.

JUSS. Gen. pl. p. 139. GAERTN. Fruct. I. p. 240. t. 52.

Cal. cyathiformis. Cor. fauce campanulata 5 fida, subtus ventricosa. Stam. 4, cum rudimento quinti sterilis. Antherae duplicatae. Capsula siliquosa 2-locularis, dissepimento parallelo. Sem. membranaceo-alata.

† Foliis conjugatis vel ternatis.

1. BIGNONIA uncinata. nob.

B. foliolis ovalibus in acumen cuspidatum productis; pedunculis axillaribus unifloris, calycibus bilabiatis.

In sylvis insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret per totum annum.

Descript. Caulis volubilis. Rami teretes, cortice cinereo-fusco rugoso, glabro; juniores sulcati. Folia opposita, conjugata, petiolata: foliola ovalia, in acumen cuspidatum leviter curvatum producta, basi plerumque inaequalia, pollices $2\frac{1}{2}$ longa, $1\frac{1}{2}$ lata, integerrima, subtus venis rubris percursa, utrinque glabra, supra nitida. Petiolus communis semipollicaris; partiales dimidio breviores. Cirrhi petiolares, apice trifidi, laciniis uncinato-incurvatis, acutissimis. Pedunculi breves, e bracteis duabus ovatis, acutis progredientes. Calyx lineas 8—9 longus, bilobus, superne coartatus. Corolla 2-pollicaris, lutea. Filamenta fertilia 4 incurva, quorum superiora 2 minora. Antherarum lobi gelatina cohaerentes. Nectarium glandulosum ovarium cingens. Capsulae spithameae. Semina biloba, acuta, ala utrinque acuminata.

Differt a B. ungui foliis nec ovatis breve acuminatis, sed ovalibus formae ellipticae accedentibus in acumen longum pungentem productis, calycibus bilobis et corollis fere duplo majoribus nec non siliquis duplo brevioribus. *Bignonia uncinata*. ANDR. *Reposit.* 3. t. 530 nostrae non affinis est.

2. BIGNONIA aequinoctialis.

B. foliis conjugatis, foliolis oblongo-lanceolatis, pedunculis axillaribus bifloris, terminalibus racemosis, calycibus 5-dentatis.

B. aequinoctialis, foliis conjugatis cirrhosis: foliolis ovato-lanceolatis, pedunculis bifloris, siliquis linearibus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 293.

ICON. SABB. *Hort.* 2. t. 85.

PLUM. *Spec.* t. 55. f. 1.

In sylvis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret per integrum annum.

3. BIGNONIA microcalyx nob.

B. foliis inferioribus ternatis superioribus conjugatis, foliolis ovalibus obtusis; floribus racemosis, calycibus quinquedentatis brevissimis.

In sylvis, scandens in altissimis arboribus.

Arbor. Floret Januario.

Descript. Scandens. Rami brachiati, recti, glabri, ad foliorum insertionem nodosi; nodis compressis. Folia opposita, inferiora ternata, superiora conjugata: foliola firma, ovalia, utrinque obtusa, uncias 3 — 3½ longa, 2 lata, venosa, venis arcuatis, glabra. Petiolus communis bipollicaris, in foliis ternatis duplo longior; partiales semipollicares, folioli intermedii pollicares: omnes teretes, striati. Cirrhi nulli (in nostro specimine; tamen eos adesse suspicamur). Racemi simplices axillares, 6 — 8 flori, axillares 4-flori, rarius 2-flori. Rami sive pedicelli semipollicares, uniflori, basi bractea minuta, subulata suffulti. Calyx lineas 2 longus, obsolete 5-dentatus. Corolla speciosa 3-pollicaris, purpurea, tubo brevi; fauce longo campanulato, interne eleganter striato; limbo 5-partito, lobis pollicaribus oblongis, obtusis. Stamen quintum sterile brevissimum. Stigma bifidum, laciniis obtusis, crenulatis.

Differt haec species elegans:

- a B. *echinata*, cui, quantum fructibus nobis non visis judicare licet, affinitate proxima est, floribus racemosis, pedunculis unifloris, corollis duplo majoribus, purpureis;
- a B. *heterophylla*, foliolis brevioribus nec acuminatis, petiolis triplo longioribus et florum colore;
- a B. *incarnata*, foliolis non oblongis acuminatis, inflorescentia, florumque colore: ab omnibus insuper calyce brevissimo.

†† Foliis digitatis.

4. BIGNONIA fluviatilis.

B. foliis subquinatis, foliolis oblongis acuminatis petiolatis; pedunculis brevissimis paucifloris terminalibus, calycibus subquinquefidis.

B. fluviatilis, foliis digitatis, foliolis oblongis acuminatis integerrimis, glabris, pedunculis multifloris terminalibus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 500.

ICON. AUBL. *Guj.* 2. t. 267 (*haud bona*).

Ad ripas in plantatione *Sophienburg*.

Arbor. Floret Octobre.

Quamquam descriptio et icon AUBLETII in nonnullis a nostro specimine discrepant, tamen pro stirpe diversa habere jus nobis esse non existimavimus. Adjecimus igitur brevem nostri speciminis descriptionem, ut et aliis de eo judicare liceat.

Descript. Arbor erecta magna (*e relatione Rodscheidei*). Ramuli nobis non visi. Folia longe petiolata, digitata. Foliola subcoriacea, oblonga, in acumen producta, basi in petiolum brevissimum attenuata, maxima pollices 6 longa, 2 lata, integerrima, glaberrima. Petiolus communis 4 — 5 pollicaris, partiales 3-lineares. Flores fasciculato-racemosi in ramulorum apice e squamis pluribus lineari-lanceolatis propulantes. Pedicelli semiunciales, nunc divisi 2 — 3-flori, nunc simplices uniflori, bracteis duabus oblongo-linearibus tomentosiss infra medium ornati. Calyx semiuncialis, 5-fidus. Corolla 2-pollicaris alba, fauce 4 — 5 loba, lobis subrotundis. Stamina 4 cum rudimento quinti. Stigma bilobum, lobis subrotundis, exasperatis.

AUBLETIUS Bignoniac fluviatili 5 — 6 pedum altitudinem attribuit, petioles partiales pollicares descripsit, et foliola basi ovata minime in petiolum attenuata pinxit.

JACARANDA. JUSS.

JUSS. *Gen.* p. 108. HUMB. et BONPL. *plant. aequinoct.* I. t. 17.

Cal. cyathiformis. Cor. fauce campanulata, basi ventricosa. Stam. 4 fertilia, cum quarto sterili reliquis longiore barbato.

Antherae simplices. Capsula 2-locularis, dissepimento contrario. Sem. membranaceo-alata.

I. JACARANDA rhombifolia nob.

J. foliis pinnatis multijugis, foliolis lineari-rhombeis, summo duplo majore; paniculis terminalibus.

In sylvis umbrosis.

Arbor. Floret Decembre, Januario.

Descript. Arbor cortice rimoso, incano. Ramuli cicatricibus foliorum lapsu notati. Folia apposita, bipinnata cum impari: pinnae oppositae, 15 — 18 jugae; foliola 20 — 28 juga, alterna, approximata, sessilia, lineari-rhombea, utrinque acuta, lineas 5 — 6 longa, 2 lata, — terminale impar reliquis duplo longius lanceolatum utrinque acuminatum, — integerrima, margine revoluta, costa intermedia diagonaliter percursa, supra pilis minutis rigidiusculis albidis adspersa, subnitida, subtus glabra, glauca. Petioli glabri: communis subteres, canaliculatus, rubro-brunneus; partiales compressi, utrinque tenuiter alati. Panicula terminalis erecta, dichotoma, ramosissima, multiflora. Rami, ramuli ut pedicelli uniflori teretes, subcompressi, puberuli, basi bractea setacea decidua suffulti. Flores fere sesquiunciales, coerulei. Calyx brevissimus quadridentatus. Corollae tubus e basi globoso in collum breve recurvatum coartatus, superne in faucem conico-campanulatum, inflatum elongatus; limbus patens, bilabiatus, labio superiore bilobo, inferiore trilobo, lobis subrotundis, quam superiores duplo majoribus. Filamenta fertilia tubo supra geniculum inserta, corolla triplo breviora, incurvata, glabra; sterile fertilibus triplo longius, exsertum, rectum, clavaeforme apice et basi villo patentissimo barbatur. Antherae simplices, erectae. Ovarium oblongum, compressum, receptaculo subrotundo insidens. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigma oblongum, compressum, apice bilamellatum; lamellis acutis, altero breviori. Fructum non vidimus.

Differt a nostra Jacaranda obtusifolia HUMB. et BONPL. *l. c.* p. 62. t. 17. quae affinitate proxima, paniculis lateralibus, foliolis oblongis

utrinque obtusis etc. *Jacaranda coerulea* (*Bignonia coerulea* WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 307) differt pinnis 4—5 jugis, foliolis ovalibus utrinque acuminatis, terminali aequilongi, corollis basi vix curvatis, paniculis laxioribus etc.

Observ. In genere *Jacaranda* filamentum quintum sterile fertilibus longius, clavaeforme, basi et apice barbatum. Antherae simplices. Capsula subrotunda l. ovalis, lignosa, compressa, 2-locularis, dissepimento valvulis contrario, bipartibili. Semina placentarum tuberculis conicis truncatis in dissepimenti utroque latere affixa. In genere *Bignonia* filamentum quintum sterile reliquis brevius, filiforme, glabrum. Antherae duplicatae. Capsula siliquosa 2-locularis, 2-valvis, dissepimento simplici valvulis parallelo. Semina cicatricibus dissepimenti affixa. *Jacarandae* igitur genus non solum habitu insigni, sed etiam tam anthologice quam carpologice a *Bignonia* diversum et optime fundatum.

CRESCENTIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1021. JUSS. *Gen.* p. 127. GAERTN. *Fruct. Suppl.* 1. p. 229. t. 223.

Cal. 2-partitus, deciduus. Cor. irregularis, limbo 2-lobo. Bacca pedicellata 1-locularis, polysperma. Semina nidulantia.

1. CRESCENTIA Cujete.

C. foliis obovato-cuneatis mucronatis; fructibus obtusis.

C. Cujete, foliis cuneato-lanceolatis confertis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 311. RODSCH. *Observ.* p. 52.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 111. edit. pict. t. 167.

COMMERS. *Hort.* t. 71.

In sylvis frequens.

Arbor. Floret toto anno.

Observ. GEL. WILLDENOWIUS icon PLUM. *Icon.* t. 109 tam ad C. Cujeten quam ad C. cucurbinam citat; sed ad posteriorem perti-

net. — Semina ulterius disquirenda, an revera JAQUINO observante bilocularia, in *C. cucurbitina* saltem non bilocularia sunt.

LANTANA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1026. JUSS. Gen. p. 109. GAERTN. Fruct. I. p. 267. t. 56.

Cal. obsolete 4-dentatus. Corollae limbus 4-fidus, fauce pervia. Stigma uncinato-refractum. Drupa putamine 2-loculari, laevi.

1. LANTANA annua.

L. caule inermi, foliis subcordato-ovatis acuminatis supra rugosis tomentosus, involucris lanceolatis, spicis ovato-oblongis.

L. annua, foliis oppositis, caule inermi, spicis oblongis. WILLD. *Sp. pl. 3. p. 316.*

ICON. CURT. *Magaz. t. 1022.*

In sylvis umbrosis.

Annua? Floret Januario etc.

Caulis revera lignosus est. Fructus primo virides, deinde purpurei et tandem nigri.

2. LANTANA Camara.

L. caule inermi ramoso, foliis ovalibus subtus tomentosus, floribus capitatis, involucris abbreviatis.

L. Camara, foliis oppositis, caule inermi ramoso, floribus capitato-umbellatis aphyllis. WILLD. *Sp. pl. 3. p. 317.*

ICON. DILL. *Eltham. t. 56. f. 65.*

PLUM. *Icon. t. 71. f. 1.*

In sylvis.

Frutex. Floret . . .

VOLKAMERIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1056. JUSS. *Gen. p.* 107. GAERTN. *Fruct. I.*
p. 267. t. 56.

Cal. 5-fidus. Corollae tubo cylindrico, limbo 5-partito.
Stamina exserta. Bacca dipyrena, ossiculis bilocularibus.

I. VOLKAMERIA aculeata.

V. foliis oblongis basi attenuatis glabris, caule petiolorum
rudimentis spinoso.

V. aculeata, foliis oblongis acutis integerrimis, spinis e petiolorum rudi-
mentis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 383.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 117. edit. pict. t. 177.

In continente.

Frutex. Floret . . .

Foliorum figura in hac specie valde differre videtur, si non, quod mihi magis arridet, species plures in synonymis huc a scriptoribus allatis latent. JACQ. *Amer. l. c.* folia ovali-oblonga, apice acuminata sistit. PLUMIERUS. *Spec. t.* 164. f. 1 et SLOANUS *Hist. 2. t.* 166. f. 2. 3 folia utrinque acuminata delineant. In BROWN. *Jam. t.* 30. f. 2. terque angustiora fere linearia utrinque attenuata exhibita sunt. In nostro tandem specimine floribus fructibusque gaudente folia ovalia obtusiuscula a medio in petiolum attenuata sunt, igiturque transitum ellipticae formae in spathulatam referunt. — Pyrenae in nostro specimine duae arcte connatae et etiam cultro tentatae minime disjungendae.

CLERODENDRUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1057 et 165. JUSS. *Gen. p.* 106 et 132. GAERTN.
Fruct. I. p. 271. t. 57.

Cal. 5-fidus, rarius 5-dentatus. Corollae tubo cylindrico,
limbo 5-partito. Stam. exserta. Bacca pyrenis 4, 1-spermis.

I. CLERODENDRON longicolle. nob.

C. foliis oblongis brevissime acuminatis glaberrimis; pedunculis subtrifloris, calycis laciniis mucronatis, corollis longissimis.

In fruticetis.

Suffrutex? Floret . . .

Descript. Tota glabra, inermis. Rami stricti, obsolete tetragoni, et leviter canaliculati. Folia petiolata, inferiora terna, superiora opposita, oblonga, brevissime acuminata, basin versus paulo angustiora, pollices $2\frac{1}{2}$ longa, 1 lata, integerrima, venosa, laete viridia, subtus pallidiora. Petioli lineas 3—4 longi. Pedunculi copiosi versus ramorum apices, axillares, solitarii, foliis breviores, inferiores apice in pedicellos 3, intermedii in 2 divisi, superiores simplices. Pedicelli semipollicares, supra basin — excepto intermedio trium paulo longiore et ut plurimum nudo — bracteis 3 interdum 2 linearibus acuminatis praediti, uniflori. Calyx semiquinquesidus, laciniis subrotundo-ovatis, obtusis, mucrone parvo terminatis. Corolla 4-pollicaris et ultra: tubo gracillimo, limbo semipollicari 5-partito, laciniis patentibus, oblongis, obtusis. Filamenta corollae tubo affixa pollicem corolla circiter longiora. Antherae erecto-incumbentes, oblongae, obtusae, basi sagittatae. Ovarium oblongum, obtuse tetragonum. Stylus longitudine staminum. Stigma bipartitum, acutum.

Differt haec pulchra species a *Clerodendro inermi* (*Volkameria inermi* WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 583) foliis oblongis inferioribus ternis, nec ovatis oppositis; bracteis majoribus; calycibus mucronatis, corollisque duplo majoribus: — a *Clerodendro siphonanthoide* (*Siphonantho indico* et *angustifolio* WILLD. *Sp. pl.* 1. p. 606) foliis petiolatis oblongis, nec sessilibus lanceolatis; limbi laciniis oblongis obtusis nec ovatis acutis; floribus majoribus.

Observ. Genera *Volkameriae* et *Clerodendri* in omnium partium structura quam maxime consentiunt. Fructus utriusque bacca subrotunda quadrisulca, quadrilocularis, semina quatuor in ossiculis totidem continens. In nonnullis bacca, adepta maturitate, disjunctionem in partes

duas permittit, dum ossicula bina arctius cohaerent. Tunc GAERTNERO ossicula bina cohaerentia unum corpus constituunt et ossicula bilocularia ei dicta sunt (Volkameria). In plurimis bacca matura 4-partibilis evadit, et tunc GAERTNERO ossicula unilocularia adsunt. (Clerodendron). Excepto hoc unico discrimine fructuum fabrica tam externa quam interna, albuminis, embryonis et cotyledonum conditio et in illis et in his omnino eadem est. Nec minus florum structura in utroque genere eadem, excepta staminum insertione, minus vel magis profunda in collo coronae, quae nullius momenti res. Quae quum ita sint, hoc unicum discrimen sufficere nobis vix videtur ad stirpes affinitate optime conjunctas in duo genera discindere. Tamen genera conjungere non ausi sumus, quia minorem partem specierum jam cognitarum disquirere nobis hucusque occasio fuit.

VITEX. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1060. JUSS. Gen. p. 107. GAERTN. Fruct. I. p. 269, t. 56.

Cal. 5-dentatus. Cor. bilabiata: labio superiori bifido; inferiori trifido, lacinia media majore. Drupa putamine 4-loculari, 4-spermo.

1. VITEX Agnus castus.

V. foliis digitatis septenatis quinatisve, foliolis lanceolatis subintegerrimis; spicis verticillatis paniculatis. WILLD. *Sp. pl. 3. p. 391.*

ICON. DUHAM. *Arb. ed. MICH. 6. n. 35.*

BLACKW. *t. 139.*

Passim.

Frutex. Floret . . .

2. VITEX umbrosa.

V. foliis digitatis quinatis, foliolis ovalibus integerrimis utrinque glabris; racemis compositis axillaribus.

V. umbrosa, foliis quinatis integerrimis utrinque glabris, racemis compositis axillaribus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 392.

In litore maritimo plantationis *Hof van Holland*.

Arbor. Floret Januario.

Descriptioni optimae CEL. SWARTZII *Ind. occid.* 2. p. 1076 addamus. —

Ramuli crassi, foliis delapsis cicatricati, glabri, ad extremitates una cum petiolis, costa foliorum intermedia et racemis tomento lutescenti-cano tecti. Foliola utrinque acuta, pollices 4—5 longa, 2 fere lata, costato-venosa. Racemi in nostro specimine optime florente vix foliorum longitudine. Bracteae ad basin racemi ramorum et ramulorum geminae, lanceolatae. Calyx griseus. Corolla alba, lacinia intermedia labii inferioris interne coerulea, venis luteis picta, ante anthesin inflexa corollae faucem claudens. Antherae utrinque dependentes, nigricantes (?) linea longitudinali alba interstinctae.

Observ. Non omnes species hujus generis in characterem genericum quoad limbi corollae structuram quadrant, et denuo examinandae.

PYROSTOMA. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. tubulosus 5-lobus. Corollae labium superius tripartitum, inferius 2-fidum. Antherae liberae. Stigmata subulata.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium monophyllum, tubulosum, 5-lobum, lobis oblongo-lanceolatis, patentibus.

Cor. monopetala, ringens. Tubus calyce longior superne subventricosus, curvatus. Limbus bilabiatus: labium superius tripartitum, lacinia intermedia subrotunda, lateralibus oblongis; labium inferius bifidum, laciniis lineari-oblongis.

Stam. Filamenta 4, corolla longiora, 2 reliquis paulo breviora. Antherae didymae, oblongae, utrinque dependentes.

Pist. Ovarium subrotundum, depressum. Stylus filiformis staminibus longior. Stigmata 2 subulata, recurvata.

Pericarp. } ignota.
Sem.

HABITUS.

Arbor? Folia opposita, ternata, petiolata. Flores speciosi in corymbis terminalibus paucifloris, corollis sericeo-villosis.

AFFINITAS.

Valde affinis est hoc genus Columneae: differt autem calyce elongato, tubuloso, 5-lobo, lobis tubo brevioribus, labio corollae inferiori bifido, antheris liberis. A Vitice differt calyce magno 5-lobo, labio corollae superiore tripartito, inferiore bifido. Ab utroque forte fructibus diversum est.

ETYMOLOGIA.

Nomen derivatum est a πυρ, ignis — et στομα, os.

I. PYROSTOMA ternata nob.

In sylvis continentis.

Arbor? (aut frutex) Floret . . .

Descript. Rami patentes, teretes, glabri; ramuli praeteriti anni subcompressi, fusco-ferruginei, annui quadranguli, compressi, sulcati, croceo-ferruginei, villo lutescente vestiti. Gemmae ovatae, obtusae, villo sericeo croceo velatae. Folia opposita, petiolata, ternata: foliola membranacea, sessilia, oblonga, breviter acuminata, basi attenuata, lateralia latere interiori paulo latiora, maxima pollices 6 longa, $2\frac{1}{2}$ lata, integerrima, costato-venosa, tenuissime reticulata, glaberrima. Petioli pollicares vel sesquipollicares, semiteretes, superne canaliculati, ubi foliis inserta compressi, una cum pedunculis pubescentes. Pedunculi ex axillis ramulorum annuorum, oppositi, solitarii, petiolos subaequant, compressi, sulcati, apice in pedicellos 3 unifloros divisi, quorum intermedius lateralibus duplo brevior, ebracteatus, laterales basi externe bractea singula et infra florem bracteis duabus subulatis ornati. Flores speciosi, pollicares. Calyx magnus tubulosus, inferne pubescens, laciniis patentibus oblongo-lanceolatis, reticulato-venosis, glabris, nitidis. Corolla interne pulcherrime coccinea, externe luteo-tomentosa, sericeo-nitens; tubus calyce tertia parte longior subcurvatus; labiorum lacinae margine undulatae.

Stamina strato filorum articulatorum supra tubi basin inserta, filiformia, compressa, nervo percurrente notata, pilisque adspersa. Antherae ellipticae, supra planae, sulcis 2 notatae, subtus convexae. Ovarium subrotundum, planiusculum, margine tumido, tomentosum. Stylus filiformis, structura et superficie filamentorum. Stigmata subulata, patenti-divergentia.

AVICENNIA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB n. 1063. JUSS. Gen. p. 108. LAM. Illustr. t. 540.

Cal. 5-partitus. Corollae limbus 4-partitus: lacinia suprema dissimili. Stigmata 2. Pericarp. bivalve, 1-spermum.

1. AVICENNIA tomentosa.

A. foliis oblongo-lanceolatis basi acutis subtus tomentosis, pedunculis terminalibus trichotomis.

A. tomentosa, foliis oblongis obtusis subtus tomentosis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 395.

A. africana. PALL. DE BEAUV. *Fl. Ovar. et Ben.* p. 80.

A. nitida. RODSCH. *Observ.* p. 35.

ICON. PALL. DE BEAUV. *l. c. t. 47. (optima).*

In littore maritimo passim.

Arbor. Floret fere toto anno.

Variabilis stirps: inprimis foliorum facie. In nostris speciminibus folia ab iis, quae icones JAQUINI *Amer. t. 112. f. 2.* et RHEED. *Mal. 4. t. 45.* sistunt, omnino differunt, foliisque a cel. auctore *Florae Ovaensis Avicenniae africanae* — a CEL. ROB. BROWN cum *A. tomentosa* conjunctae — attributis magis affinia. Opposita sunt, patentia, coriacea, fere lanceolata, basi breviter in petiolum attenuata, (nec rotundata ut in JAQUINI planta), pollices 4 longa, lineas 10 lata, venosa, supra glaberrima, nitida, subtus tomento tenui densissimo lutescenti-cano vestita. Petioli semipollicares, crassi, basi ramulum amplectentes, glabri.

XV. TETRADYNAMIA.

II. SILIQUOSA.

CLEOME. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1099. JUSS. Gen. p. 243. GAERTN. Fruct. I. p. 368. t. 76.

Cal. 4-phyllus. Pet. 4. Stamina 4—40. Siliqua 1-locularis, 2-valvis, polysperma. Sem. exalbuminosa.

1. CLEOME heptaphylla.

C. floribus gynandris hexandris, foliis subseptenatis, foliolis oblongis acuminatis; caule aculeato.

C. heptaphylla, floribus gynandris, foliis subseptenatis, caule aculeato. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 564.

Ad margines sylvarum plantationis *Hamburg*.
Annua? Floret Augusto.

Planta nostra non in omnibus cum descriptione CEL. SWARTZII *Observ. p. 252.* convenit. Caulis et rami ubique aculeati, nec non petiolus communis et foliolorum costa intermedia. Aculei oppositi, divergentes subrecurvati, nitidi, lutei. Foliola non lanceolata sed oblonga, acuminata, basi attenuata. Corolla dilute viridis, nec alba. Petala non reflexa, sed recta, apice incurvata. An forsitan diversa species? C. heptaphylla nobis ex anthopsia non nota.

XVI. MONADELPHIA.

II. PENTANDRIA.

WALTHERIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1108. JUSS. Gen. p. 289. LAM. Illust. t. 570.

Cal. duplex: exterior lateralis, triphyllus, deciduus. Cor. 5-petala. Stylus 1. Caps. 1-locularis, 2-valvis 1-sperma.

1. WALTHERIA americana.

W. foliis cordato-ovatis obtusis plicatis inaequaliter serrato-dentatis tomentosis, capitulis sessilibus pedunculatisve.

W. americana, foliis ovalibus plicatis acute inaequaliter dentatis tomentosis, capitulis pedunculatis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 586. RODSCH. *Observ. p.* 88.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 6. t. 170. f. 1.

In arenosis.

Frutex. Floret toto anno.

PASSIFLORA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 569. JUSS. Gen. p. 397. GAERTN. Fruct. 1. p. 289. t. 60.

Cal. 5-partitus. Cor. 5-petala, calyci inserta. Corona interna filamentosa. Pepo pedicellata.

† Foliis integris.

1. PASSIFLORA appendiculata. nob.

P. foliis ovato-oblongis acutis trinervato-venosis integerimis, pedunculis geminis petiolo biglanduloso brevioribus, floribus apetalis, involucro nullo.

In arenosis umbrosis continentis circa *Arowabischkreek*.
Frutex. Floret Januario.

Descript. Scandens, tenera. Caulis ut rami recti sulcatus, glaber, coeruleus. Folia e basi rotundata oblonga, inque acumen brevissimum desinentia, pollices 4 longa, basi pollices 2 lata, utrinque glabra, trinervato-venosa, subtus glandulis sparsis excavatis instructa, basi biglandulosa. Petioli semipollicares, glandulis duabus magnis oppositis supra convexis subtus concavis appendiculati, puberuli. Cirrhi axillares. Pedunculi in axillis gemini, petiolo paulo breviores. Flores parvi. Involucrum nullum. Calycis lacinae oblongae, lutescentes. Petala nulla. Corona e luteo et brunneo variegata. Fructus exsuccus, cerasi magnitudine. Semina rotunda.

Differt: a *P. pallida*, cujus flores fere et nostrae sunt, pedunculis geminis, petiolo brevioribus, et foliorum figura: — a *P. multiflora*, quae quod foliorum faciem attinet, nostrae accedit, foliis utrinque glaberrimis, floribus semper geminis, corollaque nulla: — ab utraque glandularum petiolorum situ et figura.

2. PASSIFLORA laurifolia.

P. foliis elliptico-oblongis integerrimis venosis; pedunculis solitariis, involucre florem aequante apice serrato.

P. laurifolia, foliis oblongis integerrimis venosis, petiolis biglandulosis, involucre triphylo apice dentato. WILLD. Sp. pl. 3. p. 609.

ICON. GAVANILL. *Dissert.* 10. t. 284.

PLUM. *Amer.* t. 82.

In arenosis insulae *Arowabisch*.

Frutex. Floret Januario — Martio.

Incolis dicitur Zemyten. RODSCH.

3. PASSIFLORA tinifolia.

P. foliis oblongis integerrimis venosis, petiolis biglandulosis; pedunculis solitariis, involucre flore minore apice subserrato.

P. tinifolia. JUSS. *Annal. Mus. hist. nat. Paris.* 6. p. 113.

ICON. JUSS. *l. c. t.* 41. *f.* 1.

In sylvaticis.

Frutex. Floret . . .

Species maxime affinis antecedenti, sic ut differentiis difficillime discernendae sint. Differt *P. tinifolia* foliis inprimis basin versus latioribus, glandulis, quae in *P. laurifolia*, foliorum basi approximatae sunt, paulo remotioribus; involucri laciniis flore brevioribus, duabus ut plurimum tantum serraturis subglandulosis notatis, coronae fibris, — quae in *P. laurifolia* magis irregulariter maculatae — angustioribus, fasciatim variegatis.

†† Foliis trilobis.

4. PASSIFLORA hemicycla. nob.

P. foliis semicircularibus basi acutis glabris subtus glaucis, petiolis eglandulosis; pedicellis geminis petiolo brevioribus.

P. Vespertilio. RODSCH. *Observ.* p. 77.

Rarius in plantatione *Hamburg.*

Frutex. Floret Januario — Martio.

Adumbr. Caulis scandens, flexuosus, sulcatus. Folia semicircularia, obsolete triloba — lobis divergentibus, brevibus, obtusiusculis — basi acuta, pollices $2\frac{1}{2}$ lata, $1\frac{1}{2}$ longa, trinervato-venosa, costa intermedia in mucronem brevem excedente, utrinque glabra, supra nitida, subtus glauca, basi glandulis duabus inter nervos et nonnullis in disco sparsis notata. Petioli divergentes, lineas 4 — 5 longi, pubescentes, eglandulosi. Cirrhi axillares. Pedunculi gemini, petiolis breviores. Flores *Passiflorae lunatae*. Calyx pubescens. Corolla et corona alba. Antherae flavae. Styli fusci. Stigmata viridia.

Differt a *P. biflora* foliis longioribus et minus latis, basi foliorum acuta, nec leviter cordata, pedunculis petiolis brevioribus, nec duplo longioribus. *P. bauhiniifolia* HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. pl.*

Ff

Fasc. 6. p. 132 differt foliis bilobis basi rotundatis subtus puberulis, glandulis 4 ad basin foliorum etc. Nec non *Passiflora jorullensi* ibi p. 133 et *P. glabrata* p. 135 diversae sunt.

5. PASSIFLORA quadriglandulosa. RODSCH.

P. foliis oblongis duplicato-serratis, inferioribus trilobis superioribus integris; pedunculis solitariis quadriglandulosis, involucris foliolis lineari-lanceolatis glanduloso-serratis.

P. quadriglandulosa. RODSCH. Observ. p. 77.

In sylvis insulae *Arowabisch* copiose.

Frutex. Floret fere per totum annum.

Descript. Caulis scandens, crassitie pennae gallinae, teres, striatus, glaber, rufescens. Folia inferiora triloba, lobis oblongo-lanceolatis, sinibus rotundatis et biglandulosis; superiora oblonga, apice in acumen producta, basi rotundata, pollices 4 longa, $1\frac{1}{2}$ lata; omnia duplicato-serrata, serraturis remotis et inaequalibus, venosa, utrinque glabra, subnitida. Petioli pollicares et ultra, canaliculati, pubescentes, glandulis 4, duabus ad basin duabus infra medium, instructi. Cirrhi axillares. Flores in pedunculis sesquipollicaribus, terminales et axillares, unciarum 3 vel 4 diametri. Involucrum triphyllum, foliolis lineari-lanceolatis, serratis, singulis glandulis quatuor instructis. Calyx tubulosus, tubo cylindrico, fere pollicari, laciniis sesquipollicaribus, lanceolatis, mucronatis, una cum petalis alternantibus paulo angustioribus dilute purpureis. Corona e roseo et purpureo variegata. Columna punctis purpureis adspersa. Ovarium viride, villosum. Styli inflexi, purpurei. Pepo ovi gallinacei magnitudine.

6. PASSIFLORA foetida.

P. foliis trilobis cordatis pilosis, involucris multifido-capsularibus. WILLD. Sp. pl. 3. p. 619.

β variegata, corona ex albo coeruleo et purpureo variegata.

P. foetida. RODSCH. Observ. p. 77.

P. vesicaria hederacea, foliis lanuginosis, odore tetro, filamentis florum ex albo et purpureo variegatis. PLUCK. *Alm.* p. 382.

ICON. PLUCK. *l. c. t.* 104. *f.* 1. (*mala*).

Passim.

Annua. Floret Januario.

Verosimiliter haec varietas species propria est, nam differt praeter floris colorem a *P. foetida* hirsutiae omnium partium patentissimo insigniori, calycis et corollae laciniis latioribus, involucris magis compositis etc. Foliorum facies in hac ut in *P. foetida* valde variabilis.

III. OCTANDRIA.

PISTIA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. III2. JUSS. *Gen.* p. 69. LAM. *Illustr. t.* 733.

Spatha tubuloso-cucullata, lingulata. Cal. rhomboideus, undulatus, e dorso spathae. Cor. o. Filamentum laterale. Antherae 4 vel 8. Stylus 1. Caps. 1-ocularis, polysperma.

1. PISTIA Stratiotes.

P. foliis subrotundo-obovatis.

P. Stratiotes. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 690.

ICON. *Annal. Mus. hist. nat. Paris.* 15. t. 17. (*fructus*).

JACQ. *Amer. t.* 148. *edit. pict. t.* 225.

RUMPH. *Amb. t.* 74.

In fossis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Floret Julio.

Quamquam jam multis botanicis observata et descripta est haec singularis stirps, tamen de numero et structura partium non omnino certus sumus. JAQUINUS genus ad GYNANDRIAM HEXANDRIAM refert; LINNAEUS ad MONADELPHIAM OCTANDRIAM; PURSH ad OCTANDRIAM MONOGYNIAM; HUMB. et KUNTH. ad MONOECIAM MONANDRIAM,

interrogantes an flores nudi? Adjungimus igitur et nostrarum speciminum aqua tepida emollitorum floris analysin. — Spatha radicalis monophylla, tenera, brevissime pedunculata, uniflora, ciliata, inferne campanulata clausa, superne dehiscens, medio plicis lateralibus coarctata, apice breviter ligulata. Calyx monophyllus, planus, subrhomboideus, undulatus, e dorso spathae exiens. Cor. o. Filamentum unicum, firmum. Antherae semper 4 rotundae, cruciatim apice filamento affixae. Ovarium superum, ovatum, compressum. Stylus subulatus, firmus, fragilis. Stigma capitatum, obtusum. Capsula 1-locularis, non dehiscens? polysperma.

IV. DECANDRIA.

CONNARUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. III6. JUSS. Gen. p. 369. LAM. Illustr. t. 572.

Cal. 5 partitus. Cor. 5-petala. Stylus 1. Caps. 1-locularis, 2-valvis, 1-sperma.

I. CONNARUS africanus.

C. foliolis oblongis venosis acuminatis. WILLD. Sp. plant. 3. p. 691.

Vitex trifolia β, floribus per ramos sparsis BURRM. Ind. p. 137.

Vitex trifolia floribus per ramos sparsis BURRM. Zeyl. p. 229.

Vitex trifolia minor indica. PLUCK. Alm. (excl. syn).

ICON. CAVANILL. *Dissert. 7. t. 221.*

BURM. *Zeyl. t. 109.*

PLUCK. *Phyt. t. 206. f. 5.*

In sylvis.

Arbor. Floret . . .

Synonyma huc allata hujus loci sunt et non ad Viticem trifoliatam, cui hucusque adscripta erant, pertinent, quod tam inflorescentia quam foliolo intermedio longe petiolato satis elucet.

VI. POLYANDRIA.

CAROLINIA. LINN. Suppl.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1125. JUSS. Gen. p. 279. LAM. Illust. t. 589.

Cal. cyathiformis subtruncatus. Filamenta ramosa. Stylus longissimus. Stigmata 6. Caps. lignosa 1-locularis, polysperma.

1. CAROLINIA princeps.

C. foliis subquinatis, foliolis ovato-lanceolatis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 729.

ICON. CAVANILL. *Diss.* 3. t. 72. f. 1.

AUBL. *Guj.* 2. t. 291 et 292.

In inundatis maritimis, ad rivos etc.

Arbor. Floret toto anno.

BOMBAX. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1127. JUSS. Gen. p. 275. LAM. Illust. t. 587.

Cal. 5-fidus. Stam. 5 vel multa. Caps. lignosa 5-locularis, 5-valvis. Sem. lanata.

1. BOMBAX pentandrum.

B. floribus pentandris, antheris anfractuosis, foliis septenatis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 731. RODSCH. *Observ.* p. 56.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 5. t. 151.

RUMPH. *Amboin.* 1. t. 80.

In sylvaticis.

Arbor. Floret . . .

SIDA. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1129. JUSS. Gen. p. 273. GAERTN. Fruct. 2.
p. 249. t. 134.*

Cal. simplex, angulatus. Stylus multipartitus. Caps. plures, 1 vel 3-spermae.

† Foliis cuneiformibus.

SIDA rhombifolia.

S. foliis lanceolato-oblongis serrato-crenatis basi cuneatis integerrimisque, pedunculis petiolos multoties superantibus; capsulis bicornibus.

S. rhombifolia, foliis oblongo-lanceolatis dentatis basi cuneiformibus integerrimis, pedunculis petiolis multo-longioribus, capsulis bicornibus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 740.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 1. t. 3. f. 12.

Copiosissime ad fossas locisque humidis tam continentis quam insularum.

Frutex. Floret per totum annum.

HIBISCUS. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1139. JUSS. Gen. p. 273. GAERTN. Fruct. 2.
p. 250. t. 134.*

Cal. duplex: exterior polyphyllus. Stigmata 5. Caps. 5-ocularis, polysperma.

1. HIBISCUS tiliaceus.

H. foliis cordato-subrotundis acuminatis crenatis, calyce exteriori decemfido; caule arboreo.

H. tiliaceus, foliis subrotundo-cordatis acuminatis crenatis, caule arboreo; calyce exteriori decemdentato. WILLD. *Sp. plant.* 3. p. 810. (excl. syn. RUMPHII) RODSCH. *Observ.* p. 64.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 3. t. 55. f. 1.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 134. f. 4.

β) flore purpurascente.

Tam a quam β in litoribus mare inundatis.

Observ. Calyx exterior interdum 5-fidus est. Capsula 10-locularis, 5-valvis. Folia in speciminibus nostris contra CAVANILL. l. c. p. 152 omnino crenulata, et nunquam triloba.

2. HIBISCUS bicornis.

H. foliis quinquelobis trilobis auriculato-lanceolatisque serratis, calycis foliolis exterioribus interiore longioribus apice bilobis; caule petiolisque aculeatis.

In humidis tam sylvis quam pascuis.

Frutex. Floret fere semper.

Descript. Frutex ramosus. Rami teretes petioli et pedunculi aculeis reflexis muniti pilisque rigidis flavescens hirti. Folia omnia petiolata, serrata, scabra, costa intermedia aculeata et basi poro mellifero oblongo notata; inferiora quinqueloba, lobis patenti-divergentibus, lanceolatis, acuminatis; intermedia triloba, basi cordata; summa lanceolata, saepe auriculata. Stipulae lineari-subulatae, integerrimae. Pedunculi axillares solitarii, patentes, crassi, petiolos vix aequantes, superiores petiolis breviores. Calyx uterque setis flavescens vestitus; exterior 10-phyllus, foliolis linearibus, apice bilobis, trinerviis; interior 5-fidus, laciniis ovatis, acutis, nervis tribus notatis, quorum intermedius poro mucifluo instructus. Corolla calyce sexies major, rosea, fundo purpurea. Genitalia generis. Capsulae oblongae, quinquangulares, 5-valves, 5-loculares. Semina obtusa, angulata.

3. HIBISCUS esculentus.

H. foliis cordatis quinquelobis inaequaliter serratis, petiolis flore longioribus; calycibus exterioribus subdecaphyllis deciduis, interioribus longitudinaliter rumpentibus.

H. esculentus, foliis cordatis quinquelobis obtusiusculis dentatis, petiolis flore longioribus, calycibus exterioribus subdecaphyllis deciduis, interioribus longitudinaliter rumpentibus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 827. RODSCH. *Observ.* p. 63.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 3. t. 61. f. 2.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 133. f. 3.

An revera spontanea?

Annua. Floret semper.

CAVANILL. *l. c.* p. 169 caulem sesquipedalem vocat; CEL. JACQUINUS in *Coll.* 2. p. 11. dicit: humanam rarius altitudinem assequitur; et RODSCH. caulem arboreum avocatur.

GUSTAVIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1151. JUSS. *Gen.* p. 326. GAERTN. 2. p. 264. t. 108.

Cal. 4-vel 6-fidus. Cor. 4 vel 6-petala. Bacca exsucca, 4-5-ocularis.

1. GUSTAVIA fastuosa.

G. foliis obovatis basi cuneatis subintegerrimis, floribus hexapetalis.

G. fastuosa, calycinis laciniis sex lanceolatis, corolla hexapetala, foliis obovatis acuminatis serrulatis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 847.

ICON. AUBL. *Guj.* 1. t. 193.

In sylvis profundis continentis.

Arbor. Floret Septembri, Octobri.

XVII. DIADELPHIA.

III. OCTANDRIA.

SECURIDACA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1156. JUSS. *Gen.* p. 366. LAM. *Illustr.* t. 599.

Cal. 3-phyllus. Cor. papilionacea: vexillo diphylo intra alas. Legumen ovatum, 1-loculare, 1-spermum, desinens in alam ligulatam.

1. SECURIDACA volubilis.

S. caule scandente, foliis oblongis acutis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 899.

ICON. JACQ. *Amer.* t. 183. f. 38. *edit. pict.* t. 261. f. 56.

PLUM. *Icon.* t. 247. f. 1.

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Frutex. Floret Februario etc.

IV. DECANDRIA.

MACHAERIUM. PERS.

PERS. *Syn. pl.* 2. p. 276. LAM. *Illustr.* t. 600.

Cal. campanulatus, 5-dentatus, 2-bracteatus. Legumen oblongum inarticulatum in alam cultriformem abiens, non dehis- cens. Sem. solitarium, reniforme.

1. MACHAERIUM ferrugineum.

M. caule fruticoso volubili, foliis pinnatis, foliolis oblongis acuminatis subtus fructibusque ferrugineo-tomentosis.

Gg

M. ferrugineum, caule fruticoso volubili, foliis pinnatis subtus ferrugineo-tomentosis. PERS. *Syn.* 2. p. 276.

ICON. AUBL. *Guj.* 2. t. 297. (*haud optima, inprimis quoad fructus*);

In sylvis plantationis *Sophienburg*.

Arbor. Floret Septembre.

Per AUBLETIUM satis descripta species. — Differt hoc genus omnino a *Nissolia* legumine non articulato. *Nissolia* arborea verosimiliter ad hoc genus pertinet; sic videtur ex icone fructus in JACQ. *Amer. edit. pict.* t. 261. f. 60. — Stigma in hac et in *M. ferrugineo* acutum, in *Nissolia fruticosa* obtuso-capitatum est.

DALBERGIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1158. JUSS. *Gen.* p. 362. LAM. *Illustr.* t. 601.

Cal. obsolete 5-dentatus. Legumen foliaceum non dehis-
cens. Sem. solitaria vel bina.

I. DALBERGIA *Monetaria*.

D. foliis ternatis simplicibusque, foliolis ovatis in acumen productis; racemis interfoliaceis axillaribusque, fructibus ovalibus aveniis.

D. Monetaria, foliis ternatis, foliolis glabris ovatis, fructibus ovalibus aveniis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 900.

Ecastophyllum Richardi PERS. *Syn.* 2. p. 277; nec non

Ecastophyllum Monetaria. PERS. *ibi.*

In fruticetis plantationis *Hamburg*.

Frutex. Floret Martio.

Ad descriptionem ILL. LINNAEI *Suppl.* p. 517. haec: Folia ternata vel ob laterale unum vel ambo interdum absentia simplicia: foliola in acumen angustum, nunc longiorem nunc breviorum, apice obtusum producta; uncias $3\frac{1}{2}$ — 4 longa, 2 — $2\frac{1}{2}$ lata, supra nitida. Racemi, tam axillares quam interfoliacei, simplices vel 2 — 3 partiti. Pedicelli lineas 2 — 3

longi, bractea minuta decidua basi suffulti. Calyx bibracteatus. Corolla calyce triplo major: vexillum oblongo-subrotundum; alae longitudine vexilli oblongae, basi dente reverso notatae; carina alas subaequans, emarginata, basi fissa, dente obtuso, erecto in utroque latere. Ovarium pedicellatum, ovale, glabrum. Stylus adscendens. Legumen ovale, utrinque subacutum.

Foliorum acumen longitudine valde variat, ut plura specimina tam nostri herbarii, quam VAHLII nos docuerunt. Ecastophyllum Richardi igitur pro diversa specie neutiquam habendum.

PTEROCARPUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1159. JUSS. Gen. p. 364. GAERTN. Fruct. 2. p. 351. t. 156.

Cal. 5-dentatus. Legumen foliaceum ala varicosa cinctum, non dehiscens. Sem. aliquot solitaria.

1. PTEROCARPUS Draco.

P. foliis pinnatis, foliolis ovatis acuminatis, stipulis oblongis obtusis, fructibus obtusis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 904.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 183. f. 92. *edit. pict. t.* 264. f. 91.

AUBL. *Guj. 2. t.* 299.

In sylvis.

Arbor. Floret Januario, Febuario.

2. PTEROCARPUS Rohrii.

P. foliis pinnatis tri-quadrjugis, foliolis ovato-oblongis inferioribus leviter cordatis; racemis foliis duplo brevioribus, fructibus orbiculatis.

P. Rohrii, foliis pinnatis, foliolis oblongo-lanceolatis acuminatis, stipulis nullis, fructibus orbiculatis. WILLD. *Spec. pl.* 3. p. 905. (*excl. syn. Apalatoae.* AUBL.)

In sylvis continentis.

Arbor. Floret . . .

Ad descriptionem VAHLII *Symb. 2. p. 79.* haec: Rami cortice rimoso brunnescenti-griseo vestiti, verrucis albis adpersi. Folia pinnata cum impari: foliola 5 l. 7 alterna petiolata, coriacea, inferiora ovata, intermedia ovato-oblonga, terminale oblongo-obovatum; omnia in acumen brevissimum obtusum producta, basi rotundata et inferiora subcordata, uncias 3 circiter longa, $1\frac{1}{2}$ l. 2 lata, utrinque glabra, nitida et pulcherrime reticulata. Petiolus communis semipedalis, subtus angulato-sulcatus, superne applanatus, versus inferiorem partem linea longitudinali exaratus, basi incrassatus; partiales 3-lineares, crassiusculi, puberuli. Racemi axillares et infraaxillares, nunc simplices, nunc jam e basi ramosi et subpaniculati. Flores subsistentes ad basin fructus. Calyx 5-partitus, laciniis ovatis, ferrugineo-tomentosis. Corolla lutea? Pericarpium subrotundum, compressum, hinc planum inde convexum: ala pericarpium ex toto cingens diametro bipollicari, subrotunda, basi leviter emarginata, hinc nervo percurrente et in margine mucronulo notata, reticulato-venosa, ante seminis maturitatem subto mentosa deinde glabra, nitida. Semen 1 compressum, infra apicem processu brevi auctum, glabrum, rubescenti-brunneum.

Observ. Nostram plantam eandem ac VAHLII esse, e speciminibus herbarii ejus vidimus, quae CEL. PROFESSORIS HORNEMANNI amicitiae debemus. — Ex errore typographico verosimiliter VAHLIUS l. c. folia pari-pinnata dixit. — Minus recte WILLDENOWIUS folia oblongo-lanceolata indicat. — Icon Opalatoae spicatae AUBL. *Guj. 1. t. 147.* certissime non hujus loci est.

DREPANOCARPUS. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. 5-dentatus, 2-bracteatus, dente inferiore divergente.
Legumen orbiculato-falcatum, apterum, non dehiscens.
Semen solitarium umbilico ventrali affixum.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Perianthium monophyllum, campanulatum, 5 - dentatum, bi-bracteatum, dente inferiori majori divergente.

Cor. papilionacea:

Vexillum subrotundum, emarginatum, totum reflexum, ungue brevissimo concavo.

Alae vexillum subaequantes, oblongae, curvatae, inferne dente obtuso reverso.

Carina alis paulo brevior, lanceolata, obtusa, e petalis duobus superne cohaerentibus, inferne ut alae dente notatis.

Stam. Filamenta 10 in cylindrum in carina conditum interne longitudinaliter fissum coalita, superne libera. Antherae subrotundae.

Pist. Ovarium lineari-oblongum, hamato-curvatum, compressum, in pedicellum attenuatum. Stylus adscendens, longitudine staminum. Stigma obtusum.

Pericarp. Legumen orbiculatum, subcochleato-falcatum, compressum, rugosum, 1-loculare, non dehiscens.

Sem. solitarium semilunatum, dorso in aciem attenuatum, medio ventre pericarpio affixum.

HABITUS.

Arbor. Rami spinis stipularibus geminis. Folia impari-pinnata, trijuga. Racemi terminales.

AFFINITAS.

Genus a Pterocarpo, cui hucusque conjunctum, legumine subcochleato-falcato, aptero, haud varicoso, seminisque insertione non basali sed ventricali satis diversum. Iisdem characteribus nec non calycis et filamentorum conditione a generibus Ecastophylla et Dalbergia recedit.

ETYMOLOGIA.

A *δέψανον* — falx, et *καρπος* — fructus.

I. DREPANOCARPUS lunatus.

Pterocarpus lunatus. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 905.

Pterocarpus aptera. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 351.

ICON. GAERTN. *l. c. t.* 156. *f.* 3. (*fructus*).

PLUM. *Icon. t.* 201. *f.* 2. (*rudis*).

Copiose in litoribus et inundatis.

Arbor. Floret per totum annum.

Flores non albi, sed ex albo et coeruleo variegati, nempe: Calyx fuscus; vexillum coeruleum ungue pallido, alae pallide coeruleae unguibus albis, carina flavescens. Ovarium viride, villosum. Ceterum descriptio LINNAEI *Suppl.* 317. recte se habet. Forte flores deinde expallescent.

ERYTHRINA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1163. JUSS. *Gen.* p. 356. LAM. *Illust. t.* 608.

Cal. 2-labiatus. Corollae vexillum longissimum lanceolatum. Legumen torulosum.

1. ERYTHRINA glauca.

E. foliis ternatis inermibus subtus glaucis, leguminibus rostro subulato terminatis; caule arboreo aculeato.

E. glauca, foliis ternatis inermibus subtus glaucis petiolis subinermibus, caule arboreo aculeato. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 915.

In insula *Arowabisch*.

Arbor. Floret a Januario ad Julium.

Descript. Arbor aculeatus, cortice rimoso. Aculei validi, breves, subtetragoni. Folia ternata: foliola ovalia, acumine brevi obtuso terminata, subrepanda, supra nitida, subtus glauca. Petiolus communis teres, substriatus, ad basin petiolorum partialium biglandulosus; partiales 4-lineares, angulosi. Racemi simplices, elongati: pedicelli subverticillati, carnosi. Calyx campanulatus integer, sub ore poro mellifero

instructus, coloratus. Vexillum longissimum, obtusum, croceum. Alae minimae oblongae, obtusae, apice purpureae, basi flavae. Carina alis major, monopetala, compressa, apice bifida, e flavo sordide purpurascens? Stamina inaequalia. Stylus staminibus longior. Legumen lineare, torulosum, basi et apice leviter curvatum, rostro subulato recto fere unciali terminatum.

Descriptionem supervacaneam non credidimus, quia WILDENOWII stirps quamvis in pluribus, at tamen non in omnibus cum nostra convenire videtur. Petioli WILDENOWIO subinermes rarissime aculeati, in nostris speciminibus ex toto et semper inermes sunt; etiam rostri legumen terminantis valde insignis WILDENOWIUS mentionem non fecit.

PHASEOLUS. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1180. JUSS. Gen. p. 356. GAERTN. Fruct. 2. p. 323. t. 150.

Carina cum staminibus styloque spiraliter torta.

† Scandentes.

I. PHASEOLUS adenanthus. nob.

P. racemis axillaribus glanduliferis, pedunculis geminis e glandularum basi ortis, alis vexillo longioribus carinae adnatis.

In umbrosis madidis plantationis *Hamburg*.

Annua. Floret Octobre.

Descript. Caulis volubilis, rugosus, glaber. Folia ternata: foliolum intermedium lanceolato-oblongum; lateralia ovata, acuminata, latere exteriori latiori; omnia cuspidata, integerrima, glabra, laete viridia. Petiolus communis subpilosus; partiales compressi, dense pilosi. Stipulae ovatae, obtusae, striatae. Racemi petiolorum longitudine et ultra, compressiusculi, adpresso-pilosi, et corpusculis glandulaeformibus tumidis alternis obsessi, e quibus ad latera pedicelli gemini exeunt trilineares, glabri. Bractee ovato-subrotundae, striatae. Calyces

parvi. Flores magni, albi, coeruleo-picti: vexillum subrotundum, emarginatum; alae vexillo longiores oblongae, obtusae, unguiculatae, supra unguem carinae adnatae; carina longitudine vexilli. Legumina incurvata, marginibus scabra.

DOLICHOS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1181. JUSS. Gen. p. 356. GAERTN. Fruct. 2. p. 322. t. 150.

Vexilli basis callis 2 parallelis oblongis alas subtus comprimantibus.

† Volubiles.

1. DOLICHOS luteolus.

D. foliolis ovatis, stipulis petioli communis lanceolatis, partialium subrotundis; racemis pyramidatis leguminibus cylindricis.

D. luteolus, volubilis, leguminibus capitatis pluribus cylindricis, seminibus rotundatis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1038.

ICON. JACQ. *Hort. Vindeb.* 1. t. 90.

In sylvis humidis insulae *Arowabisch.*

Annua. Floret Januario.

Descriptioni CEL. JAQUINI l. c. p. 39. addimus: Caulis ramosissimus, rami juniores pilosi. Calyx campanulatus, tetrafidus: labium superius acutum, integrum; inferius patens, trifidum. Vexillum subrotundum, emarginatum, basi bidentatum. Alae oblongae, unguiculatae, ungue hamato, altero latere dentato. Carina obtusissima, ad gibbum bifidum. Ovarium lineare, laeve. Stylus subtus barbatus.

2. DOLICHOS pruriens.

D. foliolis subovatis acuminatis subtus villosis; racemis laxis, pedicellis ternis, leguminibus carinatis hirtis.

D. pruriens, volubilis, leguminibus racemosis, valvulis subcarinatis hirtis, pedunculis ternis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1041.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 122. *edit. pict. t.* 188.

PLUCK. *Phyt. t.* 214. *f.* 1.

In sylvis continentis.

Frutex. Floret Martio — Majo.

3. DOLICHOS urens.

D. foliolis subovatis acuminatis subtus sericeis; racemis pendulis, leguminibus transversim lamellosis hirtis.

D. urens, volubilis, leguminibus racemosis transversim lamellosis hirtis, seminibus hilo cinctis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1042. RODSCH. *Observ. p.* 58.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 182. *f.* 84. *edit. pict. t.* 189.

PLUM. *Amer. t.* 107.

In humidis fruticetis.

Frutex. Floret Martio — Majo.

4. DOLICHOS comosus.

D. foliolis ellipticis acumine terminatis glabris; racemis erectis comosis, leguminibus oblongis compressis.

In nemorosis plantationis *Sophienburg*.

Frutex? Floret . . .

Descript. Caulis lignosus volubilis. Rami sulcato-striati, juniores purpurascentes. Folia ternata: foliola elliptica, acumine parvo terminata, pollices 3 — 4 longa, 2 — 2½ lata, integerrima, costato-venosa, glabra, supra nitida. Petiolus communis circiter semipedalis, subcompressus, fere glaber; partiales 3-lineares, plano-compressi, villosi. Stipulae geminae ad basin petioli communis, semisagittatae, pilosae, ad insertionem petiolorum partialium setaceae. Racemi axillares, erecti, pedales et longiores, densiflori, coma e foliolis lanceolatis aggregatis terminati. Rachis sublignosa, crassa, villosa. Bracteae duae calycem tegentes subrotundae una cum calyce fuscae. Calyx bilabiatus: labio superiori

apice bifido, inferiori trifido, lacinia intermedia longiori, angustiori, et curvata. Corollae vexillum subrotundum emarginatum, basi callis duobus adscendentibus notatum; alae oblongae, auritae ut vexillum purpureae; carina adscendens, compressa, obtusissima, alba, apice colorata. Filamenta 9 cum simplici in cylindrum callosum connata. Ovarium oblongum, villosum. Stylus brevis, crassiusculus. Stigma acutum. Legumen sublignosum, oblongum, compressiusculum, 3—4-spermum. Semina orbiculata, compressa, hylo eincta.

5. DOLICHOS spurius. nob.

D. racemis erectis petiolorum longitudine, pedicellis bifloris basi bracteis tribus apice duabus stipatis, vexilli ungue cum calyce incrassato, leguminibus compressis rostro subulato terminatis.

In sylvis insulae *Arowabisch*.

Arbor. Floret fere per totum annum.

Descript. “Arbor scandens in aliis et superans altissimas.” Cortex fuscus, glabriusculus. Rami juniores subtomentosi et stipulis copiosis squamati. Folia ternata: foliola subovalia, utrinque obtusa, laterales basi rotundata, pollices 3 longa, 2 lata, integerrima, supra glabra, subtus exceptis venis flavo-rufescentibus tomentosa. Petiolus communis 2-pollicaris, basin versus dilatatus, sulcatus, pubescens; partiales compressi, tomentosi. Stipulae oblongae, acuminatae, ciliatae, petiolorum partium duplo angustiores. Racemi axillares, longitudine petioli. Flores gemini, pedicellis brevibus insidentes. Bractee ad basin pedicellorum tres, oblongo-lanceolatae, striatae, pubescentes; ad calycis basin duae oppositae, inferioribus simillimae. Calyx campanulatus, subbilabiatus, coloratus, leviter pilosus: labium superius bifidum: inferius trifidum, laciniis acutis. Corolla magna, purpureo-violacea: vexillum amplissimum, emarginatum, reflexum, externe pilosum, callis destitutum, sed ungue una cum calyce calloso-incrassato; alae vexillo breviores, subcurvatae, longe unguiculatae, medio carinae adnatae; carina alis

paulo brevior, lunata, unguiculata, basi fissa. Filamentum simplex et novemfidum. Antherae acuminatae. Ovarium villosum. Stylus subtus barbatus. Stigma planiusculum, deflexum, coloratum. Legumen sublignosum, lineare, compressum, acumine longo subulato terminatum, transverse rimosum, tomentosum, multiloculare. Semina plura pulpae exsiccatae impressa, subrotunda, planiuscula.

Quibus haec species a Dolichi caractere discrepat ex descriptione elucet. Glycinis haud minus affinis est, sed nulla species inter has, quantum scimus, occurrit, cui legumina multilocularia, quae in Dolichis non rara. Forte novum genus constituit haec stirps.

†† Erecti.

6. DOLICHOS ensiformis.

D. caule suberecto, leguminibus acinaciformibus tricarina-
tis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1050.

ICON. JACQ. *Ic. rar. t.* 559.

SLOAN. *Hist. 1. t.* 114. *f.* 1. 2 et 3.

In continente.

Annua. Floret . . .

CLITORIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1183. *JUSS. Gen. p.* 357. *GAERTN. Fruct. 2.*
 p. 321. *t.* 149.

Cor. resupinata; vexillo maximo patente, alas obumbrante.
Legumen lineare, longissimum, acuminatum.

1. CLITORIA brasiliana.

C. foliis ternatis, floribus solitariis, calycibus bracteis
brevioribus dente inferiore reliquis triplo longiore.

C. brasiliana, foliis ternatis, calycibus solitariis campanulatis. WILLD.
 Sp. pl. 3. p. 1069.

ICON. BREYN. *Cent. t. 32?*

β) albiflora, flore albo.

In umbrosis circa rivum *Arowabischkreek.*

Annua? Floret Octobre.

Cum nulla hujus speciei descriptio jam adsit, in botanophilorum usum eam hic exhibere placuit.

Descript. Caulis filiformis, volubilis, striatus, glaberrimus. Folia alterna, remota, ternata: foliola oblongo-lanceolata, costa intermedia excedente mucronata, basin versus paulo angustiora, obtusa, interdum subemarginata; uncias $1\frac{1}{2}$ — 2 longa, lineas 4 — 6 lata, integerrima, utrinque reticulata, glabra. Petioli sesquiunciales, puberuli. Stipulae ad basin petioli communis geminae, lanceolatae, striatae; ad basin partium setaceae, lateralium solitariae, terminalis geminae. Pedunculi axillares petiolo paulo breviores, e bracteis ut plurimum quatuor stipulis simillimis orientes, infra articulationem pilosi, superne glabri, in articulatione bractea simplici cordato-ovata, conduplicata, ciliata, reticulato-venosa ornati, uniflori. Calyx campanulatus, brevis, obsolete 5-dentatus, dente inferiore elongato lineari-subulato, incurvato. Ad basin calycis bractee duae, semipollicares, ovato-oblongae, acutae, deciduae. Vexillum maximum, subrotundo-obovatum, emarginatum. Alae lineari-oblongae, carinae — magnitudine alarum superne bifidae — adnatae. Stamina adscendentia. Antherae subrotundae. Ovarium lineare. Stylus filiformis. Stigma acutum. Legumen 4 unciale, lineare, marginibus tumidiusculis, in disco subdiaphanum, acumine unciali terminatum. Semina remota.

Differt haec insignis species ab omnibus calyce bracteis brevior, rostro leguminis longissimo.

MÜLLERA. LINN. fil.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1192. JUSS. Gen. p. 352.

Cal 4-dentatus. Lomentum moniliforme: globulis carnosiss, 1-spermis, filo cohaerentibus.

i. MÜLLERA moniliformis.

M. moniliformis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1128.
 ICON. MERIAN. *Surinam.* t. 35.

In arenosis.

Arbuscula. Floret a Decembro ad Majum.

Descriptioni LINNAEI *Suppl.* p. 329. perfectae tantum addimus: Flores racemosi, racemi axillares, 5 — 6-pollicares. Pedicelli plerumque gemini. Calyx fuscus, sericeo-pubescent. Bractee calycis duae, lineares, caducae. Corolla purpurea.

AESCHYNOMENE. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1202. JUSS. *Gen.* p. 362. GAERTN. *Fruct.* 2.
 p. 347. t. 155.

Cal. 2-labiatus. Lomentum compressum: sutura altera recta, altera lobata, articulis truncatis, 1-spermis.

† Foliis ternatis.

i. AESCHYNOMENE incana.

A. caule tereti erecto, foliolis ovalibus subtus incano-villosis; racemis terminalibus elongatis simplicibus, leguminibus divergentibus subhamoso-hirtis.

Hedysarum incanum, foliis ternatis ovatis acuminatis subtus incanis, caule tereti ramoso erecto, racemis terminalibus erectis, leguminibus declinatis hirtis. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1180.

ICON. PLUM. *Spec.* t. 149. f. 1.

Copiosissime in nemorosis.

Frutex. Floret toto anno.

Descriptio CEL. SWARTZII *Ind. Occid.* 3. p. 1265. in omnibus cum specimine nostro convenit. Addimus tantum: Foliola superne pilis sparsis, adpressis scabriuscula, ceterum glabra, nitida, costato-venosa. (Tam CEL. SWARTZIUS quam et saepe VAHLIUS venae e costa intermedia

orientes si validae et rectae sint perperam nervos dicunt). Alae carinae adnatae. Leguminis pili rigidi, apice subhamati.

Observ. Plures Hedysari species ad genus Aeschynomenam transferendae sunt.

HEDYSARUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1204. JUSS. Gen. p. 362. GAERTN. Fruct. 2. p. 346. t. 155.

Cal. 5-fidus, vel 5-partitus. Carina transverse obtusa. Lomentum pluriarticulatum, utroque latere lobatum, articulis 1-spermis compressis.

† Foliis ternatis.

1. HEDYSARUM coeruleo-violaceum. nob.

H. caule tereti diffuso foliolisque ellipticis villosopubescentibus, stipulis lanceolato-subulatis, racemis capitatis terminalibus, leguminibus pilosis.

In arenosis continentis et insulae *Wacanam*.

Frutex. Floret ab Octobre ad Februarium.

Descript. Fruticulus erectus, pedalis et altior, ramosissimus, diffusus, inferne rimosus, glaber, superne pubescentia densa patentissima canescens. Foliola elliptica, basin versus paululum angustiora et subemarginata, utrinque pubescentia, supra viridia mollia, subtus scabriuscula canescentia. Petioli semipollicares, pubescentes; partiales 2-lineares, intermedio duplo longiore. Stipulae ciliatae, ferrugineae; petioli communis lanceolato-subulatae, partialium setaceae. Racemi terminales, capitati, pilosi. Bractee ovato-lanceolatae, subciliatae, striatae. Pedicelli nunc gemini nunc solitarii, bipartiti vel simplices, alterni. Calyx 5-partitus, laciniis lanceolato-subulatis. Corolla parva e coeruleo violacea. Legumina scabra, pilosa.

XVIII. POLYADELPHIA.

III. ICOSANDRIA.

CITRUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1218. JUSS. Gen. p. 261. GAERTN. Fruct. 2. p. 189. t. 121.

Cal. 5-fidus. Pet. 5 oblonga. Antherae 20, filamentis in varia corpora connatis. Bacca 9-locularis.

1. CITRUS spinosissima nob.

C. foliis ovalibus utrinque obtusiusculis crenulatis, petiolis alatis, caule spinosissimo.

In sylvis arenosis insulae *Arowabisch* passim.

Arbor. Floret fere per totum annum.

Descript. Arbor spinosissimus. Rami cortice lutescenti-brunneo, glabro excavato-punctato vestiti. Spinae solitariae, alternae, patenti-divergentes, rectae, subulatae, inferne lignosae, medio annulo notatae, superne subdiaphanae, nitidae. Folia simplicia, alterna, ovalia, utrinque obtusiuscula, 2 — 2½ pollicaria, inaequaliter crenulata, glabra. Petioli semipollicares, alati. Racemi axillares, pauciflori. Flores gemini. Fructus magnitudine nucis Juglandis, sapore acido.

IV. POLYANDRIA.

SYMPLOCOS. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1223. JUSS. Gen. p. 1501. GAERTN. Fruct. Suppl. 1. p. 141. t. 209.

Cal. 5-fidus, superus. Cor. 5 — 8-petala: petalis basi in tubum cohaerentibus. Stamina quadruplici serie corollae tubo accreta. Drupa exsucca, putamine 5-loculari.

1. SYMPLOCOS Cipunima.

S. pedunculis multifloris, foliis subintegerrimis subtus villosis.

S. Cipunima pedunculis multifloris, foliis integris subtus villosis.

WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 1435.

ICON. CAVANILL. *Dissert.* 7. t. 217.

AUBL. *Guj.* 1. t. 226.

In sylvis.

Arbuscula. Floret Septembri, Octobri.

XIX. SYNGENESIA.

I. POLYGAMIA AEQUALIS.

BIDENS. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1267. JUSS. Gen. p. 188. GAERTN. Fruct. 2.
p. 412. t. 167.*

Receptaculum paleaceum. Sem. tetragona. Pappus
aristis 2 vel 4 erectis, scabris. Cal. subaequalis, calyculatus.
Flores flosculosi vel radiati.

1. BIDENS bipinnata.

B. floribus subradiatis, calyce exteriori longitudine inte-
rioris; foliis bipinnatis, foliolis lanceolatis pinnatifi-
dis. WILLD. *Sp. pl. 3. p. 1721.*

ICON. MORIS. *Hist. 3. Sect. 6. t. 7. f. 23.*

HERM. *Parad. t. 123.*

In plantatione *Sophienburg.*

Annua. Floret Februario.

KLEINIA. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1270.

Receptaculum nudum. Pappus pilosus. Calyx simplex,
pentaphyllus.

1. KLEINIA alata. nob.

K. caule volubili, foliis ovatis acuminatis profunde corda-
tis; cymis terminalibus.

In nemorosis.

Perennis. Floret . . .

Descript. Caulis volubilis, scandens, striatus, glaber. Rami divergentes. Folia opposita, membranacea, ovata, acuminata, basi profunde cordata, pollices 3 longa, 2 lata, integerrima, reticulato-venosa, glabra. Petioli sesquiunciales. Cymae terminales, compositae, una alterave infra terminalem axillaris. Rami et ramuli, sive pedicelli, curvati, compressiusculi, inprimis latere inferiore margine tenui membranaceo alati. Bracteae ad ramorum divisiones et florum basin singulae, lanceolatae, glabrae, deciduae. Flores solitarii in apice ramulorum et in eorum divisionibus sessiles. Calyx cylindricus, ecalyculatus, foliolis 4 — 5 aequilongis, oblongo-linearibus, obtusiusculis, subpellucidis, trinerviis, glabris. Receptaculum planiusculum, nudum. Corollulae calycem paulo superantes limbo campanulato, 5-fido. Stamina limbum superantia. Semina linearia, sulcata, albo-brunnea. Pappus pilosus, ad latera serrulatus, roseus.†

Speciem nec minus Cacaliis affinem, tamen ob calycem ex toto ecalyculatum huc retulimus. Vix calycis foliolis paucissimis et aequilongis Eupatoriis revera confinis.

EUPATORIUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1272. JUSS. Gen. p. 178. GAERTN. Fruct. 2. p. 401. t. 166.

Receptaculum nudum. Pappus pilosus. Cal. imbricatus, oblongus. Stylus semibifidus, elongatus.

1. EUPATORIUM odoratum.

E. foliis petiolatis triangulari-ovatis serratis apice integerimis subtus pubescentibus; corymbis divaricatis, terminali sessili. WILLD. Sp. pl. 3. p. 1767. RODSCH. Observ. p. 59.

ICON. PLUCK. *Phyt. t. 177. f. 3.*

In arenosis.

Suffrutex. Floret Decembre.

II. POLYGAMIA SUPERFLUA.

SENECIO. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1290. JUSS. Gen. p. 181. GAERTN. Fruct. 2.
p. 400. t. 166.*

Receptaculum nudum. Papp simplex. Cal. cylindricus, calyculatus, squamis apice sphacelatis.

† Floribus flosculosis.

1. SENECIO hieracifolius.

S. caule herbaceo sulcato, foliis amplexicaulibus lanceolatis sinuatis mucronato - serratis; floribus fasciculato - racemosis.

S. hieracifolius corollis nudis, foliis oblongis amplexicaulibus inaequaliter profunde dentatis, caule herbaceo virgato.

ICON. HERM. *Parad. t. 226.*

In plantatione *Hamburg.*

Annua. Floret toto anno.

Hucusque tantum in America septentrionali observata species.

TILESIA. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Anthodium imbricatum, squamis inaequalibus subtriplici serie in paleos transientibus. Receptaculum hemisphaericum, paleis coriaceis flores aequantibus tectum. Sem. 4-gona, inmarginata. Papp. o.

CHARACTER NATURALIS.

Cal. Anthodium imbricatum: squamae coriaceae, ovatae, in series 2—3 digestae; seriei interioris, sive pedunculi proximae, squamas seriei exterioris utroque latere semitegentes, basi squama una alterave minore, seriem tertiam incompletam constituentibus, auctae;

seriei exterioris cum squamis seriei interioris alternantes, flores steriles foventes, inque paleos transientes.

Cor. composita, aequalis vel radiata: propria *hermaphroditis* tubulosa, limbo 5-dentato; *femineis* in radio ligulata, bifida.

Stam. *hermaphroditis*: Filamenta 5 brevissima, membranulae annulari insidentia. Antherae in tubum coalitae clavaeformem, pentagonum, 5-dentatum.

Pist. *hermaphroditis*: Ovarium cuneiforme. Stylus filiformis, antherarum tubo brevior. Stigmata 2 setacea, plumosa; *femineis* idem quod *hermaphroditis*?

Pericarp. nullum. Calyx inmutatus.

Sem. obverse pyramidata, quadrigona, triplici integumento tecta.

Recept. hemisphaericum, paleis coriaceis coloratis persistentibus oblongo-obovatis, acuminatis tectum.

HABITUS.

Planta scandens. Rami patenti-divergentes. Folia opposita, petiolata. Flores in capitulis subglobosis pedunculatis terminalibus axillaribusque.

AFFINITAS.

Pone Anthemidem systemati inserenda, qua differt: calycis squamis coriaceis in paleas desinentibus, seminibus obtusis inmarginatis, integumento triplici tectis, totoque habitu *).

ETYMOLOGIA.

Hoc genus nominavimus in memoriam *Viri Illustris* WILHELMI THEOPHRASTI TILESII, *Molhusa-Borussi*, *Consilarii aulici Russiarum Imperatoris*, *Academici Petropolitani*, *Medicinae Philosophiaeque Doctoris*, *Ordinis St. Annae secundi gradus*, nec non *Wlademiri Ordinis Equitis etc. etc.* qui cum CEL. DE KRUSENSTERN conjunctus annis 1803 — 1806 orbem terrarum circumnavigavit, Viri plurimis doctrinis ad rerum naturam investigandam pertinentibus instructissimi, nec non medendi scientia atque peritia insignis. Cum operibus conatibusque medicis de Pathologia et

*) Genus Anthemidis accuratius disquirendum et heteroclitae v. c. Anthemis bubthalmoides, A. Garcini etc. removendae sunt.

Therapia laudem collegit, tum maxime de pleniori atque acuratori animantium cognitione, inprimis de Piscium, Amphibiorum, Molluscorum, Crustaceorum, Coralliorum et Zoophytorum historia meritus est. Eorum vitam, propagationem rationemque, quae iis cum magna naturae oeconomia intercedit, perscrutatus est, multaque eorum et genera et species novas detexit. Nec minus indefessis Eius observationibus per itinera gravissima factis naturae phaenomenorum haudum satis cognitorum meliorem intelligentiam, privae indolis terrarum remotissimarum explorationem, incolarum proprietatum notitias etc. animo ejus naturae investigandae sagacissimo debemus. Quae omnia satis testantur permulta ejus opera et commentationes, iconibus naturae fidissimis ornata, aequae ac Musea rerum naturalium, v. c. Museum Petropolitanum, Gottingense et privatum Summi nostri BLUMENBACHII, quibus divitias exoptatissimas largitus est. — Sed et Botanices studium, cujus ratio hic inprimis habenda est, Viro excellentissimo summopere fovetur atque excolitur. Jam Lipsiae literis vacans Dissertationem de *Musa paradisiaca*. Lips. 1792. in vulgum edidit. Disputatio quae summos Medicinae honores et tribuendos antecessit, de *plantarum calidioris coeli viribus medicis* scripta est. Postea in *Diario technologico Academiae Petropolitanae* ad mycologiam additamenta et in *Act. acad. scient. Petrop. t. 5^{to} tractatum de Cheirostomone platanoides* exhibuit. *Pallasii* operum botanicorum partem, illo *Symphoropoli* absente, in vulgum edendam curavit. In *Japania* et *China* etc. moratus plantas raras novasque observavit et ad naturam pinxit, quarum plures in opere magnifico, cui titulus: *Atlas zur Reise um die Welt, unternommen auf Befehl Sr. Majestät Alexander des Ersten. Petersburg. 1814*, cujus exceptis mappis geographicis auctor est, in tab. 13^{ma} et 16^{ma} adumbravit. Descriptiones earum in tomo 4^{to} libri, quod inscriptum: *Reise um die Welt in den Jahren 1803 — 1806. unter dem Commando des Capitains A. J. VON KRUSENSTERN 1810 seq.*, quo operis priori loco indicati explicationes continebuntur, daturus est. In itineribus suis permagnam plantarum copiam collegit et ipse ab earum evulgatione aliis conatis impeditus cum amicis botanicis Vir. Clar. Swartz, Wahlenberg, Turner, Ledebour, Agardh, Flörke, Acharius, — Mertens, Willdenow, Rudolphi, Steven,

*Stephan, Trinius, Thunberg, et inprimis Fischer Gorenkensi, ut eas describerent, communicavit. Viri Cell. primo dicti in operibus suis satis cognitae earum jam multas ob botanicorum oculos posuerunt, quo novarum stirpium numerus haud parum auctus est. (Conf. v. g. TURNERI *Fuologia — Act. acad. scient. Petrop. t. 5. — AGARDHII. Decad. Algar. — Act. Societ. nat. curios. Berol. — ACHARII Synop. lich. etc.*). Ut et reliqui adhuc viventium illorum exemplum sequerentur optandum, tamen ab eo saltem vix sperandum, qui ob periculum ab animi salute removendum aliis negotiis curam impendere nequit.*

Hisce rationibus in memoriam viri multiplici virtute ornati, multisque conatis de historia naturali optime meriti — qui arctis amicitiae vinculis nobis conjunctus — monumentum hic instituere fas duximus, botanicosque id servaturos esse speramus.

1. TILESIA capitata. nob.

In umbrosis arenosis continentis.

Perennis. Floret Aprili et Octobri.

Descript. Caulis scandens, rigidus, quadrangularis, sulcatus, scaber. Rami oppositi patenti-divergentes. Folia opposita, petiolata, ovata, superiora pollices 3 longa, 2 lata, serrato-crenata — crenis subrotundis apiculatis — venosa, venis basin versus approximatis curvatis, utrinque scaberrima. Petioli semipollicares, setulis adpersi. Flores in capitula congesti subglobosa, rigida, pedunculis terminalibus axillaribusque insidentia, terna vel solitaria. Anthodium ad pedunculi insertionem impressum, squamis imbricatis, apice patulis, coriaceis, ovatis, hirtis, in receptaculi paleas desinentibus. Paleae loco calycis proprii singulos flores externe amplectentes, coriaceae, oblongo-obovatae, acuminatae, apice leviter recurvatae, striatae, scabrae, coloratae. Corollulae croceae palearum vix longitudine: *hermaphroditae* tubulosae, obsolete 5-lineatae limbo 5-dentato, dentibus obtusiusculis. Filamenta omnium brevissima, annulo, tubo infra medium adnato, insidentia. Antherae lineares, linea alba percursae, basi brevissime sagittatae, in tubum 5-gonum 15-striatum, apice paululum dilatatum et 5-dentatum coalitae. Pistil-

lum tubo brevius. Stylus filiformis. Stigmata 2 setacea, plumosa. Corollulae *femineae* si adsunt, radium constituentes, ligulatae, bifidae. Semina conformia, dura, receptaculi paleis interposita.

Observ. Variat floribus omnibus tubulosis hermaphroditis, vel radium tenentibus femineis ligulatis.

Adjungimus corpologicam seminum descriptionem:

Semina conformia, inverse pyramidata, tetragona, angulis duabus oppositis magis prominentibus, rugoso-striata, vertice papillula (corollulae insertionis puncto) notata.

Integumentum triplex: *extimum* chartaceo-membranaceum, subdiaphanum, pallide fuscum, semen arcte includens, basi ad aream umbilicalem ei adnatum, medio vertice foraminulo pertusum; *intermedium* crustaceum, durum, tuberculato-scabrum, atrum, interne membranula arachnoideo-fibrosa splendente nivea indutum; *intimum* membranaceum, tenerrimum, pellucidum, album.

Embryo semini conformis, albus.

Observ. 1. Ob integumentum seminis extimum satis insigne, substantia et firmitate ab epidermide tenera maximum seminum numerum praeter integumenta sensu strictiori sic dicta vestiente, omnino recedente, semina hujus generis forsitan haud inepte ad tunicata GAERTNERI referenda sint.

Observ. 2. Admonuimus hacce occasione, immortatum GAERTNERUM ingenti seminum numero v. c. plurimis Compositarum integumentum simplicem attribuisse, quae evidenter integumento duplici gaudent. Interius ut plurimum tenerrimum nempe Virum clarissimum tunc saepe fugisse videtur, si semina recentia succo adhuc scatentia disquisivit, quia eo statu exteriori arctissime adhaeret et fere invisibile est. Cupias autem de ejus existentia persuasum esse, semina semiarefacta recludas, tunc integumentum interius ab exteriori solutum et albumini per siccitatem magis corrugato incumbente respicias.

ECLIPTA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1316. JUSS. *Gen.* p. 187. GAERTN. *Fruct.* 2.
p. 441. t. 169.

Receptaculum paleaceum. Pappus o. Sem. obsolete
2—3-dentata. Corollulae disci quadrifidae.

1. ECLIPTA erecta.

E. caule erecto strigoso, foliis oblongo-lanceolatis sessilibus remote serratis. WILLD. *Sp. plant.* 3. p. 2217.

ICON. DILL. *Elth.* t. 113.

PLUCK. *Alm.* t. 109. f. 1. (mala).

In granimosis insulae *Arowabisch.*

Annua. Floret per totum annum.

Observ. Figura MORIS. *Hist.* 3. Sect. 6. t. 13. f. 16. aliena videtur. Etiam synonymon RUMPHII *Amb.* 6. t. 18. f. 1. non certum est.

V. POLYGAMIA SEGREGATA.

ELEPHANTOPUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1347. JUSS. *Gen.* p. 178. GAERTN. *Fruct.* 2.
p. 414. t. 165.

Recept. nudum. Pappus setaceus. Cal. proprius exterior sub 4-florus. Corollulae tubulosae, hermaphroditae.

1. ELEPHANTOPUS corolinensis.

E. caule inferne simplici, foliis radicalibus caulinisque oblongo-obovatis, pilosis.

β) albiflorus, caule ramosissimo hirsuto, foliis obovatis basi attenuatis, floribus paniculatis albis.

E. foliis oblongis scabris. *Hort. Cliff.* 390. *Hort. Upsal.* 147.
Scabiosae affinis anomala etc. SLOAN. *Hist.* 1. p. 263.

ICON. SLOAN. l. c. t. 156. f. 1 et 2.

In nemorosis insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret Octobre.

Descript. Planta 3—4-pedalis, ramosissima. Caules erecti, subrigidi, teretes, sulcati, hirsuti. Folia inferiora oblonga vel obovato-oblonga, obtusiuscula, basin versus sensim angustata, inferne serrata, serraturis mucronatis, superne sensim serrato-crenata; superiora multo minora, oblonga, serrata: omnia rugosa, plus minusve pilosa, radicalia tandem nudiuscula. Panicula terminalis, composita. Rami distantes, apicem versus in ramulos 3—5 divisi; ramuli simplices vel bifidi, canescenti-villosi, basi foliolo lineari suffulti. Florum capitula terminalia, subrotunda, multiflora. Anthodium e foliolis 3 inaequalibus, capitulis paulo brevioribus, cordato-ovatis, serratis, reticulato-venosis. Calyx exterior imbricatus, e duplici foliolorum serie, 3—4-florus: foliolis seriei exterioris oblongis acuminatis, interioris duplo longioribus, oblongo-linearibus; omnibus scariosis, subdiaphanis, carinatis, apicem versus serratura una alterave profunda notatis, subtrinervibus, cuspidatis, nitidis. Calyx interior sive proprius, superus, 5—7-partitus, laciniis subulatis, tenuissime serrulatis. Corolla tubulosa, calycis proprii longitudine, alba: tubo teneri, limbo 5—7 partito, incisura unica reliquis profundiore, laciniis erectis, lineari-lanceolatis, obtusiusculis. Antherae cylindricae. Ovarium oblongum. Stylus filiformis exsertus. Stigmata 2 setacea, patentia. Semina oblonga, truncata, subcompressa, sulcata, setulis adspersa. Pappus setaceus, erectus, serrulatus.

Differt nostra stirps ab *Elephantopo carolinensi* caule ramosissimo, foliis longioribus superne angustioribus, obtusiusculis, floribusque albis. Tamen ob maximam inter se affinitatem hujus generis specierum temere pro specie diversa eam vendere non ausi sumus.

XX. GYNANDRIA.

I. MONANDRIA.

CYMBIDIUM. sw. ref. R. BROWN.

HORT. Kew. 5. p. 213. Nov. Act. Ups. 6. p. 70. t. 5. f. 3.

Calycis foliola 5 subaequalia, patentia. Labellum basi concavum ecalcaratum, liberum. Gynostemum apterum. Anthera terminalis, decidua. Pollen cereaceum.

† Terrestria.

I. CYMBIDIUM trinerve. nob.

C. foliis radicalibus lineari-lanceolatis trinervibus; scapo paniculato, bracteis petalisque margine crispato-undulatis, labelli lobo intermedio latiore emarginato.

In locis altis arenosis regionis rivi *Arowabischkreek*.

Perennis. Floret Octobre.

Descript. Planta 4—5 pedalis, glaberrima. Folia membranacea, firma, basi invicem se amplectentia et imbricata, alterna, disticha, lineari-lanceolata, acuminata, inferne carinata, trinervata, lineata. Scapus erectus, teres, panicula subpedali terminatus. Rami paniculae alterni, adscendentes, simplices. Bracteae ad ramorum pedicellorumque basin singulae, unciales, oblongae, acuminatae, margine crispato-undulatae, una cum corolla nervato-reticulatae et coloratae. Flores alterni, remoti, pedicellis semipollicaribus unifloris suffulti. Calycis foliola patentia, oblonga, acuta, undulata, e fusco lutea. Labellum calycis foliolis duplo brevius, quadrato-subrotundum, sulphureum; lamina triloba, lobis rotundatis, intermedio planiusculo emarginato, lateralibus adscendentibus, triplo minoribus, integrisque. Gynostemum petatis duplo brevius, adscendens, antice concavum. Capsula prismatica, nitida.

Affinis est haec elegans species C. diurno, post quod systemati inserenda.

ONCIDIUM. sw. ref. R. BROWN.

Hort. Kew. 5. p. 215. *Act. Holm.* 1800. p. 239. t. 3.

Calycis foliola 5 subaequalia, patentia. Labellum ecalcaratum basi cristatum. Gynostemum apice alatum. Anthera terminalis, decidua. Pollinis massae 2 cereaceae.

I. ONCIDIUM emarginatum. nob.

O. foliis lanceolato-linearibus obtusis emarginatis; floribus terminalibus, labello obovato integerrimo, gynostemialis ovato-subrotundis.

In arboribus plantationis *Hof van Holland*.

Perennis. Floret Septembri.

Descript. Parasitica. Radices simplices, teretes, flexuosae, glabrae, albae. Caules adscendentes, spithamei, simplices, sulcati, foliosi, inferne vaginis foliorum marcidis vestiti. Folia alterna, disticha, patentia, coriacea, lanceolato-linearia, pollices 2 — $2\frac{1}{2}$ longa, obtusa, emarginata, integerrima, plana, lineata, glaberrima. Vaginae caulem arcte amplectentes, membranaceae, striatae. Flores pauci terminales, pedunculati, purpurei, punctis argenteis notati. Pedunculi unciales, curvati, teretes, leviter incrassati, glabri. Bractee ad basin pedunculorum subduae, parvae, alternae, ovatae, acutae, concavae, striatae. Calyx patens, glaberrimus, nervoso-venosus: foliola 3 exteriora oblongo-lanceolata, acuminata, inferiora 2 paululum breviora, oblonga, acuta. Labellum obovatum, basi attenuatum, integerrimum, planum, supra tuberculis rugaeformibus notatum. Gynostemum breve, apice alis 2 parvis, patentibus erectis, ovato-subrotundis instructum. Capsulam non vidimus.

Observ. Genus *Jonopsis* HUMB. et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 348. ab *Oncidio* a quo foliolis calycinis exterioribus lateralibus basi connatis calcar referentibus differre dicitur, vix diversum habendum est. In pluribus *Oncidii* speciebus calycis foliola exteriora leviter connata sunt; et gibber minutum hac conjunctione ortum — talem et vix calcar sistit icon — pro caractere generico, ut nostra opinio fert, haud sufficiat.

EPIDENDRUM. SW. ref. R. BROWN.

Hort. Kew. 5. p. 217. *Nov. Act. Upsal.* 6. p. 66. t. 5. f. 2.

Calycis foliola 5 patentia. Labellum ecalcaratum, unguiculatum, per unguem cum Gynostemo in tubum connatum. Anthera terminalis, decidua. Pollinis massae 4 cereaceae.

1. EPIDENDRUM ciliare.

E. caule simplici, foliis duobus oblongis obtusis; labelli lamina tripartita, lobis lateralibus alaeformibus laciniatis, intermedia lineari-subulata integerrima.

E. ciliare, caule simplici, foliis binis oblongis aveniis, lamina labelli tripartita, lacinia intermedia lineari. WILLD. *Sp. pl.* 3. p. 119.

ICON. CURT. *Magaz.* t. 463.

REDOUT. *Liliac.* t. 82.

PLUM. *Icon.* t. 184. f. 1.

Parasitica in arboribus insulae *Arowabisch*.

Perennis. Floret Junio, Julio.

2. EPIDENDRUM? flexuosum nob.

E. caule flexuoso, foliis carnosis lanceolatis emarginatis, calycis foliolis exterioribus tribus lanceolatis interioribus rhomboideis, labello subquadrato.

In arboribus ad ripas rivi *Arowabischkreek*.

Perennis. Floret Octobri.

Adumb. Parasitica. Radices teretes. Caulis 2—3 pedalis, compressus, a vagina ad vaginam flexuosus. Folia disticha, carnosae, 6-pollicaria, lanceolata, emarginata, sordide viridia. Vaginae flavae, Flores purpurei. Calycis foliola tres exteriora lanceolata, acuta; interiora rhomboidea, patentissima. Labellum subquadratum, acumina- tum, lateribus lacerum. Gymnostemum adscendens. Capsula ovata.

Ob specimen haud bene conservatum de genere non omnino certi sumus.

VANILLA. SW. ref. R. BROWN.

Hort. Kew. 5. p. 219. *Nov. Act. Upsal.* 6. p. 66. t. 5. f. 1.

Cal. cum ovario articulatus, deciduus; foliola 5 patentia. Labellum Gynostemo adnatum, ecalcaratum. Pollinis massae granulosa. Caps. siliquaeformis. Semina globosa optera.

1. VANILLA aromatica.

V. foliis ovalibus acuminatis nervosis, floribus undulatis, capsulis longissimis.

V. aromatica, foliis ovato-oblongis nervosis, capsulis cylindraceis longissimis. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 121.

ICON. PLUM. *Icon.* t. 188.

CATESB. *Coral.* 2. t. 7.

Parasitica in arboribus.

Perennis. Floret . . .

III. HEXANDRIA.

ARISTOLOCHIA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1383. JUSS. *Gen.* p. 73. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 45. t. 14.

Cal. o. Cor. 1-petala, tubuloso-ligulata basi ventricosa. Caps. infera 6-ocularis, polysperma.

† Caule volubili.

1. ARISTOLOCHIA trilobata.

A. foliis trilobis, caule volubili, corollis cylindraceis infractis basi saccatis labio cordato cuspidato, cuspidate filiformi corolla triplo longiore torto. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 151. RODSCH. *Observ.* p. 28.

In arenosis insulae *Arowabisch.*

Frutex. Floret a Martio usque ad Septembrem.

XVI. MONOECIA.

II. DIANDRIA.

LEMNA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1400. JUSS. Gen. plant. p. 19.

Masc: Cal. 1-phyllus. Cor. o. Fem: Cal. 1-phyllus.
Cor. o. Styl. 1. Utriculus 2-spermus.

1. LEMNA? punctata. nob.

L. foliis ovalibus supra convexis utrinque punctatis, radicibus binis ternisve.

In aquis stagnantibus.

Annua? Floret . . .

Radices 2 — 3, longae, fragiles. Folia saepissime quatuor, alterna, ovalia, supra convexa, nitida, utrinque punctis argenteis adspersa.

Specimina nostra incompleta et floribus carentia, quare genus incertum.

III. TRIANDRIA.

TYPHA. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1491. JUSS. Gen. p. 25. GAERTN. Fruct. 1.
p. 8. t. 2.*

Amentum duplex, cylindricum: superius masculum. Cal. 3-setosus. Cor. o; inferius feminineum. Cal. pappus. Cor. o. Utriculus pedicellatus, stylo coronatus.

1. TYPHA latifolia.

T. foliis linearibus planis, amento masculo femineoque approximatis, utroque cylindrico. WILLD. *Sp. plant.* 4. p. 197.

ICON. MORIS. *Hist.* 3. *Sect.* 8. *t.* 13. *f.* 1.

In paludosis.

Perennis. Floret . . .

Observ. Loco natali haec stirps acuratus disquirenda; forte diversa ab europaea. Folia paululum latiora sunt, et amenta minus approximata.

SCLEREA. BERG.

Gen. plant. ed. SCHREB. *n.* 1408. GAERTN. *Fruct.* 1. *p.* 13. *t.* 2.

Squamae fasciculatae, uniflorae, inferiores vacuae. Masc: Stam. 1—3. Fem: in eadem vel diversa spicula. Nux ossea, squama triloba libera vel adnata basi cincta.

I. SCLEREA Flagellum.

S. culmo triquetro scaberrimo, foliis margine et costa media aculeato-hispidis, paniculis terminalibus et axillaribus corymbosis, pedunculis communibus hirsutis, nucibus laevibus nitidis apice puncto opaco instructis. WILLD.

Sp. plant. 4. *p.* 312.

ICON. SLOAN. *Hist.* 1. *t.* 77. *f.* 1.

In sylvis umbrosis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret Januario etc.

IV. TETRANDRIA.

URTICA. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. *n.* 1422. JUSS. *Gen.* *p.* 403. GAERTN. *Fruct.* 2. *p.* 183. *t.* 119.

Masc: Cal. 4-rarius 5-partitus. Cor. o. Cyathulum centrale. Fem: Cal. 2—4-partitus. Cor. o. Sem. 1 calyce persistente tectum.

† Alternifoliae.

1. URTICA divergens. nob.

U. herbacea, foliis ovatis dentatis, racemis divergentibus strictis, floribus conglomeratis.

In plantationibus.

Perennis. Floret . . .

Descript. Caulis erectus, ramosus. Folia alterna, petiolata, ovata, pollices $2\frac{1}{2}$ longa, $1\frac{3}{4}$ lata, aequaliter dentata, trinervato-venosa, utrinque scabra, pilisque raris rigidis albis ad venas adspersa, nigrescenti-viridia, subtus coerulescentia. Petioli sesquipollicares vel bipollicares, juniores pilosi. Racemi axillares et terminales, patenti-divergentes vel divergentes, stricti, ramulis alternis remotiusculis 2 — 3-linearibus, cymosis. Flores minuti.

U. divaricata LINN. plantis obscuris adnumeranda nostrae affinis videtur. Nec minus U. latifolia. RICH. *Act. Soc. Paris.* p. 115. (U. corylifolia herb. JUSS. et *Encycl. meth.* 4. p. 226.); sed in nostra folia non insigniter lata, nec Coryli foliis similia; nec non racemi in nostra axillares et terminales, in illa terminales describuntur.

V. PENTANDRIA.

AMARANTHUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1431. JUSS. *Gen.* p. 88. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 215. t. 128.

Masc: Cal. 5-vel 5-partitus. Cor. o. Stam. 5 vel 5.
Fem: Cal. maris. Cor. o. Stylus 5-partitus. Caps. 1-lo-
cularis, circumscissa. Sem. 1.

† Triandri.

1. AMARANTHUS Blitum.

A. glomerulis inferioribus subrotundis superioribus spicatis, floribus triphyllis, foliis rhombeo-ovatis retusis, caule diffuso.

A. Blitum, glomerulis triandris subspicatis, floribus triphyllis, foliis ovatis retusis, caule diffuso. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 387.

A. oleraceus. RODSCH. *Observ.* p. 22.

A. albus. RODSCH. in *Diar. Bald. fasc.* 28. p. 83.

ICON. LOBEL. *Icon.* 250.

Ubique in cultis.

Annua. Floret toto anno.

Una cum Amarantho paniculato (A. cruento RODSCH. herb.) qui apud nos non nisi colitur, sub nomine Galalu, quod est olus, comeditur.

VI. HEXANDRIA.

ASTROCARYUM. nob.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Flores monoici in spadice simplici. Masc: in amentis pedicellatis, singulis femineis floribus singulis superimpositis. Fem: sessiles. Cal. duplex urceolatus, laciniis falcatis coronatus. Drupa 1-ocularis, putamine superne triforato. Nucleus cavus.

CHARACTER NATURALIS.

Flores masculi et feminei in eodem spadice.

Masc: in amentis cylindraceutis pedicellatis? singulis femineis floribus singulis superimpositis; pedicello basi in marginem receptaculum floris feminei cingentem dilatato.

Cal. . . .

Corolla . . .

Stam. . . .

Fem: sessiles.

Cal. duplex, persistens, fundo foramine receptaculum transmittente pervius: exterior interiorem amplectens, uterque monophyllus, urceolatus, marginem versus laciniis cartilagineis coronatus.

Cor. . . .

Pist. Ovarium ovatum, obsolete trigonum, 1-loculare. Stylus crassus trifidus, laciniis curvatis. Stigmata simplicia.

Pericarp. Drupa subrotunda, carnosa. Putamen lapideum drupae conforme, superne foraminibus 3 obsolete radiatim striatis perforatum. Nucleus cavus. Embryo basilaris, subulatus, horizontalis.

HABITUS.

Palma procera, caudice aculeis approximatis horrido. Frondes pinnatae. Spadices simplices, longissime pedunculati.

AFFINITAS.

Ab omnibus palmarum generibus nostrum sexus singulari inter se relatione, florumque structura et fructibus diversum videtur.

ETYMOLOGIA.

Nomen composuimus a ἀστὴρ — stella, et κάρυον — nux.

Observ. Specimen ex quo characterem genericum desumsimus, ex toto jam defloruerat; qua de causa de corollis florum femineorum, nec non de floribus masculis nil certi dicere possumus.

I. ASTROCARYUM aculeatum. nob.

? "Datur alia Palma spinosissima, habitu praecedenti (Elai guineensi) „quodammodo similis, quae Martinicensibus *Grigri* caribaeo nomine „vocatur, et quam examinare neglexi. Haec fructus fert edules, saporis „aciduli, globosos, leviter depressos, stylo acuminatos, coccineos, niti- „dosque. Pulpa drupae pauca est, rubra, mollis, nec fibrosa, et cir- „cundatur pellicula tenuissima. Nux fusca tribus foraminibus obsolete „excavatur, e quibus per reliquam superficiem venarum ad instar stella- „tim lineolae excurrunt. Nucleus cartilagineus est cavusque." JACQ. *Amer. p.* 282.

? *Bactris minima*. GAERTN. *Fruct.* 2. p. 269. (*excl. syn.*).

ICON. ? JACQ. *l. c. t. 171. f. 3. edit. pict. t. 263. f. 89. (fructus).*

? GAERTN. *l. c. t. 139. f. 5. (putamen).*

In sylvis circa rivum *Arowabischkreek.*

Palma. Floret Augusto, Septembri.

Descript. "Caudex altus, aculeis nigricantibus densissime obsessus." Frondes pinnatae, pinnis sive laciniis alternis oppositisque, linearibus, inaequalibus, praemorsis, margine revolutis, basin versus concavis, nervosis, glabris, supra nitidis, subtus pallidioribus, opacis, summis conjunctis, laciniam maximam bilobam constituentibus. Stipes triqueter, inermis? apicem versus setulis minutis adpersus. Spatha . . . Spadix oblongus, circiter pedalis, simplex, pedunculo suffultus longissimo, aculeis subulatis, rectis, subcompressis, basi angustatis, purpureo-nigris, nitidis munito. Flores masculi (aut antherae) in amentis cylindricis, pollicem longis, lineas 2 — 3 crassis, foveolis ordine alternanti dense approximatis excavatis. Pedicelli ejusdem longitudinis, teretes, setulis adpersi, inferiori parte compressi, basi in marginem floris feminei receptaculum cingentem dilatati. Flores feminei in receptaculis convexis, marginatis, squamulis 1 — 2 margini incumbentibus, subrotundis praeditis. Calyx duplex, urceolatus, subcoriaceus, persistens, fundo foramine orbiculari receptaculum accipiente apertus, exterior interiorem paulo longiorem amplectens: uterque subintegerrimus, marginem versus externe laciniis cartilagineis, curvatis, calyce duplo longioribus, subfalcatiss, acuminatis, purpureo-nigris cinctus. Ovarium calyce interiori arcte inclusum, subvillosum. Drupa Persici fructus magnitudine, carnosa, subrotunda, cortice aurantiaco vestita. Putamen lapideum, subglobosum, nigro-brunneum, versus superiorem partem foraminibus 3 obsolete perforatum et lineolis stellae ad instar e foraminibus excurrentibus ornatum. Nucleus conoideus, carnosus, pinguis, albus, in medio cavitate dotatus.

Hanc palmam trunco alto aculeatissimo circa rivum Arowabischkreek mense Octobri legi. Fructum, nisi fallor, sub nomine Aguire vidi

RODSCH.

Observ. Fructus a GAERTNERO dubie sub nomine *Bactris minima*e delineatus, a nullo botanico quantum quidem scimus, citatus, sine dubio fere ad nostram stirpem pertinet. *Bactris* generi, cui fructus fibrosus et embryo lateralis, alienissimus est.

COCOS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1692. JUSS. Gen. p. 38. GAERTN. Fruct. I. p. 15. t. 4 et 5.

Flores monoici in eodem spadice. Masc: Cal. 3-partitus. Cor. 3-partita. Fem: Cal. et Cor. maris. Ovarium 3-loculare. Styli 3. Drupa fibrosa, 1-sperma. Putamen basi 3-foratum. Nucleus cavus.

1. COCOS nucifera.

C. inermis, frondibus pinnatis, foliolis replicatis ensiformibus. *WILLD. Sp. plant. 4. p. 400. RODSCH. Observ. p. 48.*

In sylvis.

Palma. Floret per totum annum.

BACTRIS. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1693. GAERTN. Fruct. I. p. 22. t. 9.

Flores monoici in spadice ramoso. Masc. Cal. 5-partitus. Cor. 5-partita. Fem. Cal. 5-dentatus. Cor. 5-dentata. Ovarium 3-loculare. Stylus brevissimus. Drupa fibroso-succulenta. Putamen medio triforatum. Nucleus cavus.

1. BACTRIS minor.

B. caudice spinoso, frondibus pinnatis, foliolis strictis, drupa subrotunda.

B. minor, fructibus subrotundis. *WILLD. Sp. pl. 4. p. 402. RODSCH. in Diar. Bald. Fasc. 28. p. 86.*

ICON. JACQ. *Amer. t. 171. f. 1. edit. pict. t. 256.*

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Palma. Floret Januario.

Pueri Barbarorum fructum devorant, quem Stekelappel vocant.

RODSCH.

VII. POLYANDRIA.

LUZIOLA. JUSS.

JUSS. *Gen. p. 33.* PERS. *Syn. 2. p. 575.* FALL. D. BEAUV. *Agrost. t. 24. f. 1.*

Masc: in panicula terminali. Cal. o. Cor. bivalvis, mutica. Stamina 6—10. Fem: in paniculis lateralibus. Cal. o. Cor. bivalvis, mutica. Stylus bipartitus. Sem. liberum, rostratum.

1. LUZIOLA peruviana.

L. culmis basi procumbentibus radicanibus, floribus masculis geminis, altero subsessili; panicularum feminearum ramis fructiferis retroflexis, seminibus birostratis.

L. peruviana. PERS. *Syn. 2. p. 275.* FALL. D. BEAUV. *Agrost. p. 136.*

L. mexicana. HUMB. et KUNTH. *Nov. gen T. 1. p. 199.*

ICON. *nost. t. 2.*

In locis humidis ad margines sylvarum plantationis *Hamburg.*

Floret ab Aprili ad Augustum.

Descript. Culmi cespitosi, geniculati, inferiori parte procumbentes, et fibris e geniculis exeuntibus, radiculisque brevius divergentibus stipatis, terrae affixi, superiori parte adscendentes, $1\frac{1}{2}$ — 2 pedes longi, pennae gallinaceae crassitie, compressi, laeves, glabri, nitidi. Genicula glabra, etiam in adscendente culmi parte fibrillis brevibus, compressis cincta. Folia culmo longiora, lanceolato-lineararia, acuminata, versus basin paulo attenuata et carinata, margine serrato-aspera, nervo costali subtus prominente nervisque nonnullis lateralibus obsoletioribus

supra prominulis percursa, inter nervos striata, utrinque scabra et superne basin versus pilis adpersa. Vaginae elongatae, laxae, inferne subinflatae, nervato-sulcatae, glabrae. Ligula longissima, foliorum inferiorum unciae longitudinem superans, linearis, in apicem setaceam acuminata, striata. Panicula mascula terminalis, erecta, oblonga. Rachis paululum flexuosa, angulata, angulis prominentibus, viridioribus; rami sparsi vel subverticillati, capillares, patentes, multiflori, basi fasciculo pilorum suffulti; ramuli vel pedicelli alterni, teretes, hispiduli, capitulo minuto terminati. Flores gemini, inferiori subsessili, rarius solitarii. Cal. o. Corolla 2-valvis: valvulae, quarum altera paulo brevior, membranaceae, tenerae, diaphanae, lineari-oblongae, obtusiusculae, nervis nonnullis obsoletis striatae, pilis raris adpersae, nitidae, albae. Stamina 6, corolla breviora. Filamenta capillacea, brevissima. Antherae lineares, pendulae, luteae Paniculae femineae solitariae, duae rarius tres, e vaginis foliorum inferiorum supra genicula propullantes, pedunculo unciali, crasso, tereti, glabro suffulti. Rachis crassiuscula, flavescens, angulis viridibus notata; rami approximati, subverticillati, summi sparsi, primo erecto-patentes, deinde patentidivergentes, et post fecundationem retrofracti, ramosi, angulati, pilis brevibus adpersi, basi superne insigniter incrassati et flavescens, pilisque albis sericeis vestiti. Flores ramos ramulosque terminantes, plerumque solitarii. Cal. o. Corolla 2-valvis. Valvulae, quarum interior vix paululum brevior, membranaceae, diaphanae, ovato-oblongae, obtusiusculae, nervis 6, quorum 2 marginales, notatae, ad nervos pilis brevissimis hirtae, albae. Ovarium subrotundum. Stylus brevissimus, profunde bipartitus. Stigmata 2, plumosa, corolla dimidia parte longiora, alba. Semina elliptico-subrotunda, apice styli basi persistente birostrata, ferrugineo-brunnea.

Si hujus stirpis adumbrationes ab auctoribus nobis allegatis nec non in *Encycl. meth. Suppl. 3. p. 523.* exhibitas respicimus, ad sententiam omnino inclinamus, nostram plantam — culmis inferiori parte procumbentibus radicanibusque, floribus masculis geminis nec solitariis, staminibus 6 nec 8 — 10, paniculae femineae ramis basi insigniter incrassatis, semini-

busque birostratis, nec rostro simplici truncato terminatis — ab illa diversam esse. Tamen Viri Cell. PAL. DE BEAUVOIS et PERSEON qui descriptionis nostrae et iconis comparisonem cum specimine Luz. peruviana in herbario Ill. JUSSIEU asservato nostro rogatu humanissime praestiterunt, de identitate nostrae plantae cum illa certiores nos fecerunt. — Ob supra commemoratas equidem differentias non laevissimas haud absoneum fore credidimus, hujus speciei paucis botanicis ex autopsia cognitae, descriptionem fusiorem et iconem e nostris speciminibus desumas graminum studio deditis hic offerre.

SAGITTARIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1441. JUSS. Gen. p. 46. GAERTN. Fruct. 2. p. 21. t. 84.

Masc: Cal. 3-phyllus. Cor. 5-petala. Filamenta fere 24.
Fem: Cal. et Cor. maris. Pistilla multa. Sem. multa, nuda.

1. SAGITTARIA acutifolia.

S. foliis subulatis. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 411.

In paludosis plantationis *Sophienburg*.

Perennis. Floret toto anno.

ARUM. TOURNEF.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1387. JUSS. Gen. p. 24. GAERTN. Fruct. 2. p. 19. t. 84.

Spatha 1-phylla, cucullata. Spadix superne nudus, inferne femineus, medio staminiferus. Bacca 1-ocularis, polysperma.

† Caulescentia.

1. ARUM hederaceum.

A. radicans, foliis cordato-ovatis longe acuminatis, petiolis teretibus.

A. hederaceum, caulescens, radicans, foliis cordatis oblongis acuminatis, petiolis teretibus. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 486.

ICON. JACQ. *Amer. t.* 152. *Edit. pict. t.* 230.

PLUM. *Amer. t.* 55.

In sylvis.

Arbor. Floret ab Augusto ad Februarium.

Ad descriptionem Ill. JAQUINI: Folia 2-pedalia. Flores axillares longe pedunculati. Spatha externe viridis, interne purpurea.

CALADIUM. VENT.

Plant. rar. Hort. Cels. 30.

Spatha 1-phylla, cucullata. Spadix ad apicem staminifer, medio staminibus sterilibus glandulosus, basi ovariis tectus. Antherae peltatae, multiloculares. Bacca 1-vel polysperma.

† Acaulia.

* *Foliis simplicibus.*

1. CALADIUM edule. nob.

C. foliis sagittatis acumine brevi terminatis, scapo compresso, spadice spatha lanceolata brevior.

In sylvis humidis.

Perennis. Floret Julio.

Adumbr. "Planta humana magnitudine." Folia radicalia pauca, longissime petiolata, sagittata, apicem versus obtusa et tunc brevi acumine terminata, lobis baseos rectis folia duplo brevioribus obtusiusculis, sinu angustato. Scapus plano-compressus. Spatha basi convoluta et quasi pedunculata, superne in laminam lanceolatam pollices 9 — 12 longam, pollicem latam prolongata. Spadix cylindricus subcompressus, apice attenuatus, spatha tertia parte brevior. Antherae roseae. Stigmata stellata, lutea.

Differt a Caladio sagittifolio scapo plano-compressio, spathis lanceolatis. Folia C. sagittifolio similia sunt, sed respectu latitudinis longiora.

Radix hujus plantae humanae magnitudinis edulis est et incolis Tunias dicta; spadice et spatham in jusculis vescuntur. RODSCH.

An re vera spontanea?

†† Caulescentia.

2. CALADIUM seguinum.

C. suberectum, foliis oblongis cuspidatis, spadice spatha oblongo brevior. WILLD. Sp. pl. 4. p. 490.

Arum seguinum. RODSCH. *Observ. p. 31.*

Arum Regnium. RODSCH. in *Bald. Diar. fasc. 28. p. 82.*

ICON. JACQ. *Amer. t. 151. ed. pict. t. 229.*

PLUM. *Amer. t. 51. fig. h. et t. 59.*

Copiose in arenosis umbrosis subhumidis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret Majo, Junio.

3. CALADIUM arborescens.

C. erectum, foliis sagittatis, spadice spatha cucullato-ovata brevior, caule laevi.

C. arborescens, caulescens erectum, foliis sagittatis, spadice spatha cucullato-ovata brevior. WILLD. Sp. pl. 4. p. 490. RODSCH. Observ. p. 28.

ICON. PLUM. *Amer. t. 51. fig. g. et t. 60.*

In sylvis humidis paludosis.

Arbor. Floret fere perpetue.

Adumb. Truncus cortice griseo, glabro indutus, superne foliorum casu annulato-cicatricatus. Folia alterna, longe petiolata, sagittata, a petioli insertionem usque ad apicem pollices 6—9 longa, totidem lata, lobis baseos folio paulo longioribus, sinu amplo rotundato. Petioli canaliculati, semiamplexicaules. Spatha 5-pollicaris, oblongo-ovata, acuminata, alba. Spadix spatha tertia parte brevior, crassus, obtusissimus, fere clavatus. Semina conica, subtriangularia, cinerea tactu saponis naturae.

Observ. *Caladium arboreum* HUMB. (et KUNTH. *Nov. gen.* 1. p. 80. ab hacce specie omnino diversum est.

4. *CALADIUM aculeatum*. nob.

C. erectum, foliis sagittatis, spadice spatha cucullato-ovata breviora, caule aculeato.

In sylvis.

Arbor. Floret per totum annum.

Folia et inflorescentia omnino, ut videtur, speciei antecedentis, sed cortex, cujus frustulum aequae ac ab illa speciminibus exsiccatis adjacet, ex toto aculeis parvis acutis tectus. Ob specimen fere corruptum nil certi de hac stirpe indicare possumus, utrum nempe varietas tantum *C. arborei*, an revera species propria.

Caulis altior quam in Ari specie sub Nro. 1. (Caladio arborescente) exsiccato, saepe 24—30-pedalis est, et aculeis ex toto obsessus.
RODSCH.

VIII. MONADELPHIA.

JATROPHA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1463. JUSS. Gen. p. 389. GAERTN. Fruct. 2. p. 121. t. 108.

Masc: Cal. corollaceus subinfundibuliformis, profunde 5-partitus, saepe calyculo 5-partito auctus. Stam. 10. exteriora 5 breviora. Fem: Cal. maris, saepe ecalyculatus. Styli 3, bifidi, Caps. 3-cocca: coccis 1-spermis.

† Calyculatae.

1. *JATROPHA Curcas*.

J. foliis cordatis angulatis. WILLD. Sp. pl. 4. p. 560. RODSCH. Observ. p. 66.

In arenosis.

Frutex. Floret per totum annum.

Flores e viridi flavescentes. Antherae flavae.

†† Acalyculatae.

2. JATROPHA urens.

J. foliis quinquelobis serratis basi cordatis, petiolis pedicellisque aculeatis urentibus.

J. urens, foliis quinquelobis cordatis dentatis hispidis urentibus. WILLD.
Sp. pl. 4. p. 563.

ICON. JACQ. *Hort. Vind.* 1. t. 20.

In arenosis continentis circa *Arowabischkresk* copiose.

Frutex. Floret fere semper.

Panicula dichotoma, e cujus dichotomia semper flos femineus oritur.
Flores albi.

'SAPIUM. JACQ.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1469. JUSS. Gen. p. 390. LAM. Illust. t. 792.

Masc. Cal. semibifidus. Cor. o. Filamentum bifidum.
Fem. Cal. 3-dentatus. Cor. o. Stylus brevius. Stigma
3-fidum. Caps. 3-cocca.

1. SAPIUM Hippomane. nob.

S. foliis oblongis obtusis acumine brevi incurvato, obsolete serrulatis, margine et infra basin glandulosis; spicis subaggregatis.

Hippomane biglandulosa, foliis ovato-oblongis, basi biglandulosis.
LINN. *Sp. pl.* 1431.

Sapium aucuparium. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 572. (*excl. syn. JAQUINI et AUBL.*)

ICON. PLUM. *Icon. t. 171. f. 2.*

PLUCK. *Alm. t. 229. f. 8.*

In humidis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret Januario.

Adumb. Folia alterna, petiolata, firma, oblonga, utrinque obtusa, apice acumine obliquo subspiraliter inflexo terminata, pollices 4—4½ longa, 1½—2 lata, obsolete crenulata et glandulis 2, saepe 4, rarius 6 obsita, subcostato-venosa, venis approximatis, supra obscure viridia et opaca, subtus pallidiora et nitida. Petioli 5—6 lineas longi, crassiusculi, infra folii basin glandulis 2 oppositis, divergentibus, lineas 2 longis instructi. Spicae graciles, pollices 6 longae.

Affine videtur *Sapium Zeylanicum* HUMB. et KUNTH. *Nov. gen. 1. p. 65.* sed differt ex descriptione KUNTHII foliis fere duplo brevioribus et angustioribus, argute serrulatis, reticulato-venosis, petiolisque 2-linearibus, nec non spicis duplo brevioribus.

2. SAPIUM aucuparium.

S. foliis oblongo-lanceolatis apice incurvatis glanduloso-serrulatis, spicis solitariis.

Sapium aucuparium, JACQ. *Amer. p. 249.* RODSCH. *Observ. p. 84.*

Hippomane biglandulosa. AUBL. *Guj. 2. p. 335.*

ICON. LINN. *Pflanz. Syst. 2. t. 16. b.*

JACQ. *l. c. t. 153. edit. pict. t. 237.*

In sylvis humidis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret Majo.

Jam CEL. SWARTZIUS *Observ. p. 371.* recte suspicatus est, JAQUINI plantam a LINNAEI diversam esse. Ceterum species sibi simillimae. Differt *S. aucuparium* foliis duplo fere longioribus, breviter sensim acuminatis, acumine minus inflexo, spicis validioribus etc.

PHYLLANTHUS. LINN.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1412. JUSS. Gen. p. 386. GAERTN. Fruct. 2.
p. 125. t. 108.*

Masc: Cal. 6-partitus. Cor. o. Filamentum columnare.
Antherae 3. Fem: Cal. et Cor. mar. Margo germen
cingens 12-angulatus. Styli 3. Caps. 3-cocca.

† Foliis pinnatis floriferis.

1. PHYLLANTHUS Niruri.

P. foliolis ellipticis, pedunculis axillaribus, inferioribus
subgeminis masculis, superioribus solitariis femineis,
petiolis cauleque erecto teretibus. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 583-
(*excl. icone Rumphii*) RODSCH. *Observ.* p. 78.

ICON. BURRM. *Zeyl.* t. 93. f. 2.

RHEED. *Malab.* 10. t. 75.

Planta e *Surinamo* adducta nunc passim spontanea in arenosis.
Annuæ. Floret toto anno.

HURA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1475. JUSS. Gen. p. 391. LAM. Illust.

Masc: Ament. imbricatum. Perianthium diphyllum.
Cor. o. Filamenta cylindrica, apice peltata, Antheris plu-
ribus geminis cincta. Fem: Cal. cylindricus. Cor. o. Sty-
lus infundibuliformis. Stigma 12-fidum. Caps. 12-ocularis.
Sem. solitaria.

1. HURA crepitans.

H. crepitans. WILLD. *Sp. plant.* 4. p. 582. RODSCH. *Observ.* p. 65.

ICON. *Hort. Cliff.* t. 34.

TREW. EHRET. t. 34. 35. f. 1.

In sylvis continentis.
Arbor. Floret . . .

IX. SYNGENESIA.

CUCUMIS. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1479. JUSS. Gen. p. 395. GAERTN. Fruct. 2.
p. 47. t. 88.*

Masc: Cal. 5-dentatus. Cor. 5-partita. Filamenta 3.
Fem: Cal. et Cor. Mas. Pistillum trifidum, Peponis
pseudo-trilocularis semina arguta.

I. CUCUMIS sepium nob.

C. foliis cordato-ovatis subquinelobis, fructibus ovalibus
utrinque acuminatis muricatis.

C. ANGURIA? RODSCH. *Observ. p. 56.*

In insulae *Wacanama* sepibus.

Annua? Floret Novembri.

Descript. Caulis ramosissimus, teres, angulatus, scaber, et subhispidus.
Folia cordato-ovata, subquineloba, lobo intermedio acuminato, latera-
libus acutis, baseos rotundatis, sinu angulato, repando-denticulata,
utrinque aspera. Petioli longitudine foliorum, pubescentes. Cirrhi
oppositifolii, superne bifidi. Flores axillares: masculi in racemis pe-
dunculatis, foliorum circiter longitudine, paucifloris. Calycis lacinae
ovatae, acuminatae. Corolla parva, flava, petalis margine crispis, ner-
voso-venosis. Filamenta 3—4 l. 5 monadelphia; si 3 adsunt 2 anthe-
ris duabus, si 4—5. Antherae semper liberae. Flores feminei ses-
siles. Fructus ovals, magnitudine ovi gallinacei, utrinque attenuati,
muricati.

Cucumis Anguria differt a nostra foliis subpalmatis, sinu angusto,
fructibus subgloboso-ellipticis.

MELOTHRIA. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 68. JUSS. Gen. p. 395. LAM. Illust. t. 28.

Masc: Cal. 5-dentatus. Cor. 5-partita, plana. Filamenta 3.
Fem: Cal. 5-dentatus, subpersistens. Cor. 5-partita. Stylus 1.
Bacca oblonga 3-locularis non dissepimentosa, polysperma.

1. MELOTHRIA pendula.

M. pendula. WILLD. Sp. pl. 1. p. 189.

ICON. PLUCK. *Alm. t. 85. f. 5.*

PLUM. *Icon. t. 66. f. 2.*

In fruticetis, ad sepes.

Annua. Floret Octobri.

En florum nostrī speciminis descriptionem.

Descript. Flores monoici, axillares, lutei. Masculi subracemosi 2—4. Calyx cyathiformis, ore 5-dentato reflexo. Cor. 5-partita, plano-patens, laciniis rotundatis emarginatis. Filamenta 3 subulata. Antherae totidem liberae, quorum 2 duplicatae, una simplex; omnes linea farinifera circumscriptae. Flores feminei in pedicellis tenuissimis solitarii. Calyx maris, subpersistens. Corolla maris, sed paulo major. Ovarium inferum, oblongum. Stylus longitudine calycis crassiusculus. Stigmata 3 bipartita, laciniis oblongo-subulatis.

Observ. Jam ILL. LINNAEUS adnotat, etiam flores masculos in *Melothria pendula* vidisse; et CEL. SWARTZIUS *Observ. p. 27.* dicit, semper plantam sibi monoicam aparuisse. In nostris speciminibus omnes flores monoici sunt, et nulli hermaphroditi. Genus igitur omni jure ad congeneras in Classem MONOECIAM rejiciendum est.

XXII. DIOECIA.

II. DIANDRIA.

CECROPIA. LOEFL.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1492. JUSS. Gen. p. 402. LAM. Illustr. t. 800.

Masc: Spatha caduca. Spicae cylindricae. Cal. turbinato-angulatus obtusus, apice biporosus. Stamina per poros exserta. Cor. o. Fem: Cal. campanulatus, bidentatus. Ovarium 1. Stylus subnullus. Stigma capitatum. Semen calyce persistente tectum.

I. CECROPIA peltata.

C. foliis subnovemlobis, lobis oblongis obtusiusculis supra hispido-scabris subtus albo-tomentosis. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 651. RODSCH. *Observ.* p. 43.

ICON. JACQ. *Observ.* 2. t. 46. f. 4.

SLOAN. *Hist.* 1. t. 38. f. 2. t. 89.

In sylvis.

Arbor. Floret Martio, Aprili.

È spatha singula in nostro specimine praeter folium unicum pedunculi 4 (non 3) surgunt. Folia subtus-tomento tenuissimo albido tecta, et venis venulisque denudatis elegantissime reticulata.

VI. HEXANDRIA.

SMILAX. TOURNEF.

*Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1528. JUSS. Gen. p. 42. GAERTN. Fruct. I.
p. 59: t. 16.*

Masc: Cal. 6-partitus. Cor. o. Fem: Cal. et Cor. mar.
Styli 3. Ovarium 3-loculare, loculis 1-spermis. Bacca
1—3-sperma.

† Caule inermi tereti.

1. SMILAX globifera. nob.

S. caule scandente foliis oblongo-lanceolatis triplinerviis
glabris, floribus umbellatis.

In fruticetis.

Frutex. Floret . . .

Descript. Caulis scandens, inermis, ut rami patenti-divergentes flexuosus, teres, laevis, glaber; ramuli juniores apicem versus subtrianguli. Folia alterna, subdivergentia, subcoriacea, inferiora oblongo-lanceolata, basi rotundata, pollices 5—6 longa, 2—2½ lata, superiora lato-lanceolata, pollices 4 longa, 1½ lata, omnia mucrone parvo obtuso terminata, triplinervia, venisque 4 marginalibus obsolete percurta, reticulato-venosa, glaberrima. Petioli lineas 3—5 longi, ut plurimum curvati. Cirrhi axillares, gemini. Flores masculi in capitulis collecti parvis pedunculatis, axillaribus vel terminalibus, squamulis copiosis crassiusculis tecti. Capitulum pedunculi lineas 2—4 longi, teretes, basi bractea oblonga stipati. Pedicelli longitudine inaequales, uniflori. Calycis lacinae crassiusculae, oblongae, obtusiusculae, tribus reliquis parum latioribus, patentissimis. Filamenta brevissima, membranacea. Antherae filamentorum longitudine, oblongae, obtusae, recurvatae, flavescens. Plantam femineam non vidimus.

N n

Differt a *Smilace lanceolata* secundum iconem CATESB. *Carol.* 1. t. 84. foliis basi rotundatis nec attenuatis, triplinerviis et pedicellis globulis insidentibus.

Observ. Postquam flores cum pedicellis elapsi, globuli pisi magnitudinis canescenti-brunnei in pedunculis persistent.

DIOSCOREA. PLUM.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1530. JUSS. *Gen.* p. 42. GAERTN. *Fruct.* 1. p. 66. t. 17.

Masc: Cal. 6-partitus. Cor. o. Fem: Cal. et Cor. mar. Stylus 5-partitus. Caps. 3-locularis, compressa. Sem. bina, margine membranaceo cincta.

† Foliis simplicibus cordatis.

1. DIOSCOREA lutea. nob.

D. foliis alternis cordato-ovatis acuminatis glabris quinquenerviis, nervis exterioribus bipartitis; racemis femineis axillaribus geminis foliis triplo longioribus.

Dioscorea sativa. RODSCH. *Observ.* p. 57.

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Floret Septembre.

Adumbr. Caulis volubilis, teres, laevis, glaber. Folia alterna, cordato-ovata, acuminata, lobis rectis rotundatis, sinu acuto, uncias 3 longa, 2 lata, 5-nervia, nervis extimis profunde bipartitis, brachio exteriori breviori, glaberrima. Petioli fere pollicares. Racemi axillares, gemini, simplicissimi, folio triplo quadruplo longiores, glaberrimi. Flores sessiles, lutei, a 2—3 in glomerulis alternis, bractea lineari floribus paulo longiore stipatis, collecti. Styli patuli. — Plantam masculam non vidimus.

Differt haec stirps: a *D. sativa*, foliis ovatis 5-nerviis, nec subrotundo-ovatis multinerviis; racemis geminis nec solitariis: a *D. aspera*, caule laevi, racemis geminis: a *D. polygonoide*, foliorum lobis rectis,

racemis geminis: a *D. piperifolia*, petiolis triplo brevioribus, foliis, et racemis geminis.

Observ. Ex synonymis ad *Dioscoream sativam* collatis plura dubia et nonnulla falsa sunt. Removenda v. c. *Herb. Amboin.* 5. p. 482. t. 180. inflorescentiam paniculatam, folia hastato-cordata, paucinervia sistens. *Dioscoreae sativae* inflorescentia racemum simplicem refert, folia exacte cordato-ovata, multinervia, duplo brevius petiolata.

†† Foliis simplicibus lobatis.

2. DIOSCOREA trifida.

D. caule alato, foliis cordato-trilobis, lobis sublobatis.

D. trifida, foliis trifidis cordatis. LINN. *Suppl.* 427.

D. triloba. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 791. (excl. syn. LAMARKII).

In sylvis magnis continentis et culta in hortis.

Perennis. Floret . . .

Adumb. Caulis volubilis, tortuosus, quadrangulus, alatus. Folia cordata, profunde triloba, lobis oblongis, lateralibus basi iterum bi-trilobis, laciniis brevibus obtusiusculis, nervosa, glabra. Petioli varie flexuosi, triangulares, angulis acutis. Paniculae axillares, pedales: pedunculus communis quadrangulus; rami in verticillis dimidiatis, trianguli, subvillosi. Flores solitarii. Antherae luteae.

MAURITIA. LINN. fil.

Gen. plant. ed. SCHREB n. 1702. JUSS. *Gen.* p. 40.

Flores dioici in spadice ramoso. Mascul: Cal. 3-dentatus. Cor. profunde 3-partita. Fem: ignoti. Drupa 1-sperma, squamis imbricatis tecta.

1. MAURITIA flexuosa.

M. caudice inermi. WILLD. *Sp. pl.* 4. p. 801.

In sylvis humidis continentis.

Palma. Floret Julio, Augusto.

IX. ENNEANDRIA.

TRIPLARIS. LOEFL.

Gen. plant. ed. SCHREB. pag. 814. (n. 135.) JUSS. Gen. p. 83.

Masc: Cal. 5-partitus. Cor. 5-petala. Stam. 9. Fem:
Cal. 5-partitus, inferus. Cor. 5-petala. Styli 3. Caps.
1-sperma, 3-valvis.

1. TRIPLARIS americana.

T. racemis terminalibus axillaribusque brachiatis. WILLD.
Sp. pl. 4. p. 812.

ICON. JACQ. *Amer. t. 173. f. 3. edit. pict. t. 259. f. 3.*

AUBL. *Guj. 2. t. 347.*

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Arbor. Floret Septembri.

XXIII. CRYPTOGAMIA.

I. FILICES.

A. POLYPODIACEAE. ROB. BROWN.

Sporangia annulo articulato, elastico, incompleto instructa, transversim irregulariter rumpentia.

ACROSTICHUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1625. JUSS. Gen. p. 15. SCHKUHR. Filic. t. 1 — 3.

Sori incompleti. Sporangia totum frondis discum inferiorem vel ejus partem occupantia. Indusium nullum.

† Fronde pinnata.

1. ACROSTICHUM aureum.

A. pinnis alternis distantibus lineari-lanceolatis brevissime acuminatis obtusisve integerrimis basi subinaequaliter cuneatis, venis reticulatis.

A. aureum, frondibus pinnatis, pinnis alternis oblongo-lanceolatis integerrimis, basi cuneatis aequalibus, omnibus acuminatis, superioribus fructificantibus. WILLD. *Sp. pl. 5. p. 116.*

ICON. SCHKUHR. *Fil. t. 1. et t. 1. b.*

PLUM. *Amer. t. 7.*

PLUCK. *Alm. t. 288. f. 2.*

In sylvis humidis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Fructificat Aprili, Julio, Novembri.

2. ACROSTICHUM marginatum.

A. pinnis alternis approximatis lineari-oblongis acumine subrecurvo terminatis integerrimis basi rotundata subinaequaliter cuneatis, venis parallelis.

A. marginatum. SCHK. *Fil.* p. 185.

ICON. SCHKUH. *l. c. t. 3. b.*

In humidis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Fructificat Aprili etc.

Minime recte Cel. SWARTZIUS hanc speciem cum antecedente, a qua omnino diversa, conjunxit. En nostri speciminis adumbrationem.

Adumb. Frondes "usque ad 10-pedalem altitudinem adsurgentes," pinnatae, rufescentes. Stipitem non vidimus. Rachis firma, lata (triplo pro ratione latior quam in A. aureo) compressa, multiangulata, glabra, nitida. Pinnae patentes approximatae, se invicem semitegentes, lineari-oblongae, pollices 5 — 6 longae, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ -latae, basin versus paulo latiores et subinaequaliter rotundato-cuneatae, apice obtusata acumine 3 — 4 lineas longo subulato subrecurvato terminatae, supra venis densis parallelis (non versus costam reticulatis ut in A. aureo) lineatae, glabrae. Costa compressa, supra depressa, subtus prominens, glabra, nitida. Sori pinnarum inferiorem discum ex toto tegentes, cinnamomei. Sporangia obovato-subrotunda.

Icon SCHKUHRII secundum specimen Rodscheidianum facta non in omnibus justa,

POLYPODIUM. SW.

SW. *Synops. Filicum.* p. 25. SCHKUH. *Filic. t. 10. II.*

Sori subrotundi seriati, sparsi vel conferti. Indusium nullum.

† Fronde simplici integra.

1. POLYPODIUM phyllitidis.

P. frondibus lanceolatis acutis marginatis, basi attenuatis glabris, soris biserialibus. WILLD. *Sp. pl.* 5. p. 157.

ICON. PLUM. *Amer.* t. 38.

PLUM. *Fil.* t. 130.

In sylvis humidis plantationis *Hof van Holland.*

Perennis. Fructificat Octobre.

Radix fibrosa in arboribus parasitica. Frondes tripedales, basi longissime attenuatae. Costa utrinque elevata, planiuscula. Sori parvi.

2. POLYPODIUM lycopodioides.

P. caudice filiformi repente squamoso-paleaceo, frondibus lanceolatis utrinque acuminatis glabris; soris solitariis.

P. lycopodioides. WILLD. *Sp. pl.* 5. p. 150.

ICON. SCHKUH. *Fil.* t. 8. c.

PLUM. *Amer.* t. 42.

PLUM. *Fil.* t. 119.

In sylvis insulae *Arowabisch.*

Perennis. Fructificat . . .

Adumbr. Caudex volubilis in altas arbores adscendens, squamis scariosis lineari-lanceolatis in setam tenuissimam attenuatis, enervibus, saturate ferrugineis, densissime vestitus, canalibus medullam albidam gerentibus tribus nigris percursus. Rami alterni, juniores uncinato-curvati. Frondes alternae, remotae, stipitatae, lanceolatae l. lineari-lanceolatae, acuminatae, basi valde attenuatae, integerrimae, glabrae, saturate virides, venis remotis ramosis coerulescentibus notatae. Costa supra plana, subtus convexa. Sori inter venas transversales singuli in seriebus 2 longitudinalibus medium inter rachin et marginem tenentibus dispositi, majusculi, oblongi.

†† Fronde pinnatifida.

3. POLYPODIUM aureum.

P. frondibus profunde pinnatifidis glaucescentibus, laciniis lanceolatis acuminatis, terminali elongata; soris subsparsis.

P. aureum. WILLD. *Sp. pl.* 5. p. 169.

ICON. SCHKUHR. *Fil.* t. 12. (*haud optima*).

PLUM. *Amer.* t. 35.

PLUM. *Fil.* t. 36.

In arenosis umbrosis ad originem rivi *Arowabischkreek*.

Perennis. Fructificat . . .

4. POLYPODIUM incanum.

P. frondibus profunde pinnatifidis, laciniis linearibus, obtusis ciliatis subtus stipiteque squamulosis; soris solitariis.

P. incanum. WILLD. *Sp. plant.* 5. p. 174.

ICON. SCHKUHR. *Fil.* 11. b.

PLUCK. *Alm.* t. 89. f. g.

In sylvaticis.

Perennis. Fructificat . . .

Habitus Polyp. vulgaris, sed tenerior, et pinnae duplo angustiores, subtus ut stipes eleganter squamosae, squamis-subrotundis, subulato-ovatis, lanceolatis, et subulato-acuminatis, ferrugineis albo-marginatis, nitidis.

ASPIDIUM. R. BROWN.

R. BROWN. *Prodrom. Nov. Holl.* 1. p. 147. SCHKUHR. *Fil.* t. 28. 29.

Sori subrotundi, dorsales. Indusium orbiculare peltatum stipitatum, medio sori insertum, undique liberum.

† Fronde pinnata.

1. ASPIDIUM ensifolium.

A. pinnis lineari-lanceolatis acuminatis serrulatis, basi cuneatis superne leviter obtuseque auriculatis, soris submarginalibus solitariis.

Aspidium ensifolium, frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis acuminatis serrulatis, basi cuneatis, superiore obtuse leviter auriculatis, soris solitariis marginalibus stipite glabro. WILLD. *Sp. plant.* 5. p. 230.

ICON. SCHKUR. *Fil. t.* 32.

In truncis arborum sylvarum plantationis *Hamburg.*

Perennis. Fructificat per totum annum.

Adumbr. Frondes 2—3 pedales, pinnatae. Stipes gracilis, inferne canaliculatus, et subvillosus. Rachis linea longitudinali exarata, glabra, nitida. Pinnae alternae, divergentes, lineari-lanceolatae, acuminatae, apicem versus leviter curvatae, pollices 4 longae, lineas 6—7-latae, basi breviter cuneatis et superne auriculo parvo obtuso notatis, remote tenuiter serratis, venis transversalibus dichotomis alternantibusque simplicibus percursae, utrinque glabrae, subnitidae. Costa tenuis, glabra. Sori subrotundi, venas simplices terminantes, in lineas duas longitudinales margini approximatis collecti. Indusia desunt in nostro specimine.

†† Fronde pinnata, pinnis pinnatifidis.

2. ASPIDIUM gongylodes.

A. pinnis linearibus obtusis leviter pinnatifidis glaberrimis, laciniis ovato-subrotundis, superioribus acutiusculis; soris submarginalibus.

A. goggilodus. Frondibus pinnatis glabris, pinnis linearibus pinnatifidis, laciniis subrotundo-obtusis. SCHK. *Fil. p.* 193.

ICON. SCHK. *l. c. t.* 33. c.

In locis humidis plantationis *Hamburg.*

Perennis. Fructificat fere semper.

Valde affinis *Aspidio obtusato*, sed diversum.

BLECHNUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1627. JUSS. *Gen.* p. 15. SCHKUH. *Fil.*
t. 108. 110. 110. b.

Sori lineares, longitudinales, continui, costae frondis utrinque paralleli. Indusium superficialium continuum, interius dehiscens.

† Fronde pinnata.

1. BLECHNUM angustifolium.

B. pinnis subsessilibus oppositis alternisve linearibus serratis, basi brevissime cuneatis, sterilibus rotundatis.

B. angustifolium, frondibus pinnatis, pinnis inferioribus oppositis linearibus serratis subsessilibus, acutis, basi rotundatis. WILLD. *Sp. pl.* 5. p. 414.

ICON. SCHK. *Fil. t.* 108.

In sylvis frequens.

Perennis. Fructificat Aprili, Octobre.

Adumbr. Frondes 3—4 pedales, steriles 2-pedales, pinnatae. Stipes postice convexus, antice sulco longitudinali exaratus, glaber. Rachis supra profunde angulato-sulcata, subtus laevis, glabra. Pinnae nunc oppositae nunc alternae, subsessiles, glabrae: steriles divergentes, lanceolatae, basi inaequaliter rotundatae, submarginatae, ad costam subtus squamosae; fructificantes patentem, duplo longiores et angustiores, acutae, basi brevissime cuneatae, serratae, serraturae obsoletae et inaequales, in pinnarum apice profundiores et fere spinulosae. Costa supra canaliculata, subtus prominens. Sori lineam continuam latiusculam in utroque costae latere, sub apicem evanescentem formantes. Sporangia minutissima, longe pedicellata.

Observ. In frondibus sterilibus squamulae parvae, membranaceae, scariosae, ovatae l. subtriangulares per totam costae longitudinem in utroque latere collocatae, pagina superiori glandula minuta punicea in-

structae observantur. Primo indusii ortu squamae adhuc persistunt, illo crescente autem decidunt.

B. OSMUNDACEAE. R. BROWN.

Sporangia exannulata, vasculoso-reticulata, pellucida, vertice radiatim vel dissimiliter striata, hinc (saepius externe) longitudinaliter dehiscentia.

SCHIZAEA. SW.

Act. Taur. 5. p. 419. t. 9. f. 9. SCHRAD. Diar. bot. 1801. I. Fasc. 2. t. 2. f. 1.
SCHKUR. *Fil. t. 136. 137.*

Sporangia ovato-subturbinata, vertice radiatim striata, appendicibus flabellatis dorso inserta. Indusium continuum e marginibus appendicis inflexis formatum.

1. SCHIZAEA incurvata.

S. frondibus simplicissimis linearibus triangulatis, appendice fasciculato-digitata 3—5-juga, curvata.

S. incurvata. SCHK. *Fil. p. 138.*

ICON. SCHK. *l. c. t. 137.*

In arenosis continentis infra rivum *Arowabischkreek.*

Perennis. Fructificat mense Decembri.

Adumbr. Frondes caespitosae pedales l. sesquipedales, triangulatae, angulis elevatis, glaberrimae, nitidae, basi angustatae, nigro-brunneae. Appendices terminales, fasciculato-digitatae, 8—10 per paria approximatae, pollicares, lineares, acutae, curvatae, costa intermedia valida et duabus marginalibus tenuioribus interstinctae, glabrae, nitidae. Indusium tenerum, integerrimum, ferrugineo-cinnamomeum. Sporangia obovata, obtusa, in series 4 disposita. Fila planiuscula sporangiis intermixta.

Fila nullam relationem ad indusium habent, ut credit cl. SCHKUHRE. sed sporangiis intermixta appendicis disco inserta sunt.

Differt haec species, ut videtur, a *Schizaea digitata*, cui maxime affinis, ex descriptione et delineatione Cl. SWARTZII in *Synopsi filicum*, appendicibus duplo brevioribus, falcato-curvatis. Fila sporangiis intermixta quidem in descriptione indicat Cl. SWARTZIUS, sed in icone, etiam in partibus magnitudine auctis, nulla adsunt. In nostra stirpe longitudine appendicis latitudinis gaudent.

2. SCHIZAEA bifida.

S. frondibus linearibus subcanaliculatis bis bifidis, appendicibus racemosis curvatis 15 — 25 jugis secundis.

S. bifida, fronde lineari-filiformi bis bifida compressa, paribus spicarum terminalium subquindenis secundis. WILLD. *Sp. pl.* 5. p. 87.

S. trilateralis. SCHK. *Fil.* p. 137.

ICON. *Act. Acad. Erford.* 1802. t. 3. f. 3.

SCHKUHR. l. c. t. 136.

Habitat fructificatque cum praecedente.

Adumbr. Frondes caespitosi, sesquipedales, lineares, graciles, hinc concavae, inde convexae, et sulcis duabus lateralibus exaratae, glaberrimae, nitidae, inferne nigro-brunneae et basi squamulis subulatis vestitae, superne usque ad medium fere bifidae, ramique usque infra medium iterum bifidi. Appendices in utroque ramulo terminales, racemosae, unciales, 25-jugae. Rachis dorso canaliculata. Pinnae unilaterales, dorso approximatae, 3 — 4 lineas longae, divergenti-curvatae. Indusium tenerum. Sporangia obovata. Fila sporangiis intermixta, planiuscula.

Observ. WILLDENOWII planta nil nisi appendicibus 15-jugis differt.

LYGODIUM. SW.

Synops. fil. p. 152. SCHRAD. *Diar.* 1801. I. *Fasc.* 2. t. 2. f. 2. SCHK. *Fil.* t. 138. 140.

Sporangia ovata medio inserta, apice radiatim striata, in spiculis simplicibus e margine pinnae, vel dichotomis in fronde

mutata, biseriata. Indusium squamiforme, quodlibet sporangium distinguens.

I. LYGODIUM volubile.

L. caule flexuoso scandente, frondibus conjugatis pinnatis, foliolis lineari-lanceolatis, basi subrotundatis.

L. volubile, caule tereti, frondibus pinnatis, pinnis omnibus oblongo-lanceolatis obtusis serrulatis. SW. *Syn. filic. p. 152.*

Hydroglossum volubile. WILLD. *Sp. pl. 5. p. 78.*

Hydrog. scandens. SCHK. *Fil. p. 138. (exclus. syn.)*

ICON. SCHK. *l. c. t. 139.*

SLOAN. *Hist. 1. t. 46. f. 1.*

In umbrosis humidis regionis ad rivum *Arowabischkreek.*

Perennis. Fructificat Octobre.

Basis foliolorum nunc magis rotunda interdum subrodata, nunc magis truncata.

II. MUSCI.

A. STOMATE INSTRUCTI.

CALYMPERES. SW.

SCHWAEGR. *Suppl. Musc. frond. T. 2. p. 333. t. 98.*

Peristom. o. Thecae orificium membrana clausum. Calypt. basi constricta, rimis longitudinaliter hians.

1. CALYMPERES Palisoti.

C. foliis oblongis obtusis integerrimis. SCHWAEGR. *l. c. p. 333.*

ICON. SCHWAEGR. *l. c. t. 80. (Calymp. Lonchophyllum, quia nomina in tabula commutata.)*

In truncis arborum occidentem versus.

Fructificat Majo.

Descriptioni et iconi CEL. SCHWAEGR. optimis nil addere possumus.

B. PERISTOMIO INSTRUSTI.
OCTOBLEPHARIS. HEDW.

HEDW. *Spec. Musc. frond.* p. 50. *EjUSD. Stirp. crypt.* 3. t. 6 A.

Peristom. simplex 8-dentatum. Theca sine apophysi.

I. OCTOBLEPHARIS albida.

O. albida. HEDW. *Spec. musc. frond.* p. 50.

ICON. HEDW. *Stirp. crypt.* 3. t. 6. A.

Copiose ad terram densis caespitibus crescens.

Fructificat . . .

HYPNUM. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1656. SCHWAEGR. *Musc. frond. Suppl.* t. 90 seqq.

Perist. duplex: exterius dentibus 16 acutis; interius membranaceum, laciniis 16 interjectis ciliis.

I. HYPNUM. Richardi.

H. decumbens, vage ramosum, foliis sparsis confertis patentibus, ovato-lanceolatis acuminatis enervibus integerrimisque; theca ovata operculo rostrato.

H. Richardi. SCHWAEGR. *l. c.* p. 204.

ICON. SCHWAEGR. *l. c.* t. 93. f. 1.

Ad terram et arborum truncos.

Fructificat . . .

Folia in nostris speciminibus paulo magis approximata, quam in icone citata, et vix disticha nominanda. Rostrum operculi vix thecae longitudinis. Ceterum icon ad unguem quadrat.

III. LICHENES.

A. ECTOSPORI.

LECIDEA.

Apothecium orbiculatum, thallo adnatum l. innatum, Thalamus nullus. Lamina proligerata marginata.

1. LECIDEA albo-virens. nob.

L. thallo crustaceo-cartilagineo imbricato albo-viridi, marginem versus radiosio-lobato, lobis rotundatis adpressis; apotheciis canescenti-nigris infra marginem linea colorata subduplici notatis.

In cortice arborum.

Fructificat fere semper.

Descript. Thallus crustaceo-cartilagineus, imbricatus, junior orbicularis semiunciae l. unciae diametri, statu perfecto forma magis irregulari, uncias 2 — 3 et ultra longus latusque, marginem versus radiosio-lobatus, glaber, juvenilis virescenti-albus, deinde ex albo pallide virescens, opacus, subtus ater et subfibrillosus. Laciniae lineares, connatae, thalli peripheriam versus multifidae et leviter flexuosae, planiusculae, ad extremitates lobatae, lobis vix paulo dilatatis, cortici arcte adpressis et apice rotundatis. Soredia sparsa, versus centrum copiosiora, margine baseali nigricante praedita, juniora minuta, planiuscula, pallide lutea, margine dilutiora, glabra; aetate media subhemisphaerica, granulosa, crustae concoloria; adulta thallo paululum soluta, figura magis irregulari, dilatata et saepe nuda. Apothecia rara, laciniiis imposita, parva, crassiuscula, canescenti nigra (basaltina), margine tumida, disco concaviuscula, infra marginem linea circulari obsoleta lutescenti, cui saepe interne altera obsoletissime subfusca adjuncta est, notata; adulta majora, plana, subinmarginata et lineis fere privata.

Observ. Aetate magis provectori laciniae una ab altera paulo secedunt, et tunc ob superficiem inferam nigram margine baseali nigrescenti prae-

ditae apparent. Quo in statu solediarum superficies glabra est, et subnitet; margine dilutius colorato tunc gaudent, et apotheciis veris haud ab-similia sunt.

2. LECIDEA corticola.

L. thallo subtartareo granulato-areolato albissimo; apotheciis minutis primo basi immersis hemisphaericis deinde subglobosis atris scabriusculis.

L. corticola. ACH. *Syn. Lichen. p. 32.* (excluso synonymo HOFFMANNI, ad varietatem pruinosum pertinente.)

ICON. *Engl. bot. t. 1892.*

HOFFM. *Pl. lich. 1. t. 15.*

In cortice arborum.

Fructificat fere semper.

In omnibus cum speciminibus nostratis convenit stirps americana.

CLADONIA.

Apothecium turbinato-capituliforme, subinflatum. Thalamus nullus. Lamina prolifera margine reflexa.

I. CLADONIA macilentia.

C. thallo foliaceo laciniis minutis inciso-lobatis crenatis, podetiis gracilibus canescenti-albis granuloso-squamulosis; cyphis obsoletis, apotheciis coccineis.

Lichen macilentus. EHRH. *Pl. Cr. Dec. 27. n. 267.*

Cenomyce bacillaris. ACH. *Syn. p. 266.*

ICON. *Engl. Bot. t. 2023,*

DILL. *Hist. musc. t. 14. f. 10 A et B.*

Hab. ad terram et arb. truncos in sylvis continentis.

Fructificat . . .

2. CLADONIA rangiformis.

C. thallo subnullo, podetiis ramosissimis, ramis ramulisque patenti-divergentibus fragilissimis incanis; apotheciis terminalibus subrotundis fuscis deinde nigrescentibus.

β) nivea, podetiis elongatis niveis hinc inde subpulverulento-verrucosis.

Podetii elongati 2 — 3 unciales, rarius fructificantes.

Cenomyce gonorega i, nivea ACH. *Syn. Lich. p. 260.* secundum specimen ACHARII in collectione CL. SCHRADERI hujus loci est.

Hab. in sylvis continentis circa *Arowabischkreek.*

3. CLADONIA ecmocyna.

C. thallo foliaceo obsoleto, podetiis cylindraceo-elongatis laevibus l. squamulosis olivaceo-cinerascentibus; scyphis parvis, apotheciis fuscis.

Cenomyce ecmocyna. ACH. *Syn. Lich. p. 261.*

Habitat in sylvis continentis.

B. ENTOSPORI.

PORINA.

Apothecium e thalamo universali verruciformi thallogeno constructum. Thalami partiales nulli. Nuclei proligeri thalamo universali immersi, inque ejus superficie ostiolo aperti.

1. PORINA versicolor. nob.

P. thallo cartilagineo-crustaceo canescenti-albido; thalami universalis nucleis 2 — 4 apice exserto depressiusculis, primum pallide lutescenti-viridibus deinde nigricantibus, ostiolo obsoleto perforatis.

In cortice arborum inprimis *Erythrinae glaucae.*

Pp

Descript. Thallus cartilagineo-crustaceus, aetate juniore tenuis, laevis et subcontiguus, statu perfecto crassiusculus, inaequalis, et rimoso-areolatus, canescenti-albidus, opacus. Thalami universales thalli substantia et colore, verrucaeformes, supra crustam elevati et duplo crassiores, irregulariter subhemisphaerici, nunc magis rotundati, nunc subangulosi, supra ut plurimum paululum depressi. Thalami partiales nulli. Nuclei proligeri 2 — 4 in uno thalamo universali, subglobosi, perithecio tenui hyalino, in superiori parte nigricante induti, infantes thalamo universali fere toto inmersi, et vix in ejus superficie papillae instar minutissimae, planiusculae, pallide luteo-virescentis paululum prominentes; maturi apice exserti, depressiusculi, ostiolo obsoleto perforati, nigricantes.

Observat. Perithecium in nucleorum aetate juniore nigricans est, quare tunc, si non evolutionis gradus respicias, pro thalamo partiali proprio habere potes; adepta autem maturitate omnino hyalinum est et nucleum ipsius substantiae, excepto apice exserto, in quo semper paulo firmiter et nigricans manet. Interdum nucleos in una alterave verruca confluentes observavi.

CALICIUM.

Apothecium scyphuliforme. Thalamus proprius. Pulvis prolificus scyphulum implens.

1. CALICIUM exile. nob.

C. thallo submembranaceo continuo glabro; apotheciis minutissimis in acervulos coacervatis canescenti-brunneis, capitulo subgloboso supra planiusculo ostiolo pertuso.

In ligno cortice denudato subputrido.

Descript. Thallus maculas parvas oblongo-diformes efformans, submembranaceus, tenuissimus, continuus, laevigatus, pallide ochraceus. Apothecia minutissima, vix sextam lineae partem longa, in acervulos plerumque aggregata, rarius solitaria, bina l. terna, pallide canescenti-brunnea. Stipes rectus, crassiusculus. Scyphylum stipite duplo crassius, subglobosum, apice paululum depressum, et ostiolo minuto medio pertusum. Pulvis prolificus fuscus.

VERRUCARIA.

Apothecium subgloboso-conoideum, thallo innatum. Thalamus proprius, nucleum proligerum includens.

1. VERRUCARIA tropica.

V. thallo crustaceo-cartilagineo laevigato, albo-flavescente; apotheciis confertis subglobosis scabriusculis supra concavo-depressis, ostiolo pruinoso.

V. tropica. ACH. *Syn. Lich.* p. 91.

Hab. in cortice arborum.

IV. FUNGI.

I. PILEOMYCI.

AGARICUS. LINN.

Gen. plant. ed. SCHREB. n. 1674. NEES. DE ESENB. *Syst. fung.* t. 19—25.

Pileus stipitatus l. latere affixus. Hymenium lamellosum, lamellis rectis integris.

† Lepiota. Pers.

1. AGARICUS molybdites. nob.

- A. pileo carnoso planiusculo albido brunneo-squamoso, lamelliis albo-coerulescentibus; stipite infra annulum squamoso basi bulboso.

Ad terram.

Viget Januario.

Affinis A. proceri.

†† Gymnopus. Pers.

2. AGARICUS striatus. nob.

- A. carnosus, croceo-ochraceus, pileo planiusculo, lamellis inaequalibus; stipite inferne striato.

Ad arborum truncos.

Viget Aprili.

††† Mycena. Pers.

3. AGARICUS Musae. nob.

- A. pileo subcampanulato fusco striis albidis notato, lamellis aequalibus carneis; stipite solido albido.

In truncis putridis Musae paradisiacae.

4. AGARICUS cancrinus. nob.

- A. gregarius, pileo campanulato striato glabro flavescente, lamellis inaequalibus dilute ochraceis; stipite bulboso sordide albo.

In cavernis cancrorum.

Viget Aprili.

5. AGARICUS tenellus. nob.

- A. fragilis sordide albus, pileo plano medio fusco lineis luteis striato, lamellis aequalibus; stipite gracili bulboso.

Inter folia decidua.

Viget Majo.

†††† Coprinus. Pers.

6. AGARICUS Aster. nob.

- A. pileo deinde orbiculari plano sulcato cinereo, umbone albido, lamellis latis purpureo-atris, stipite elongato tenerrimo.

In terra argillosa.

Viget Aprili.

††††† Omphalia. Pers.

7. AGARICUS essequeboensis. nob.

- A. ochraceus, pileo infundibuliformi piloso-tomentoso margine reflexo, lamellis decurrentibus pileo pallidioribus; stipite tenerrimo laevi.

In ligno putrido.

Viget Aprili.

8. AGARICUS Flos. nob.

- A. flavus, pileo subinfundibuliformi subquinquelobo, lobis inaequalibus, tribus majoribus margine reflexis, lamellis inaequalibus undulatis; stipite brevi crasso subvillosa.

In ramis emortuis.

Viget Julio.

Faciem floris Didynamiae refert haec peculiaris species, cujus plura specimina exsiccata eadem structura gaudent.

9. AGARICUS ochraceo-fuscus. nob.

- A. pileo convexo umbilicato ochraceo fusco-squamato, lamellis pallidioribus; stipite gracili.

In terra humida.

Viget Aprili.

††††† Pleuropus. Pers.

10. AGARICUS reniformis. nob.

A. pileo reniformi plano crenato sulcato lacteo, lamellis teneris; stipite laterali incrassato rubro.

Ad truncos arborum inter lignum et corticem.

Viget Aprili.

Adumbr. Pileus reniformis, tener, fragilis, planus, medio paululum concavus, a centro ad marginem sulcatus, lacteus, margine eleganter crenato. Lamellae inaequales, tenerae, pellucidae. Stipes lateralis, brevis, ad insertionem incrassatus, ruber, saturatius striatus.

11. AGARICUS sublamellosus. nob.

A. substipitatus flavescens pileo concavo margine inflexo, lamellis dimidiatis undulatis.

In truncis arborum.

Viget per totum annum.

MERULIUS. PERS. ref. FRIES.

PERS. *Syn. fung.* p. 488. FRIES. *Observ. myc.* I. p. 77. NEES. DE ESENB. *Syst. fung.* t. 31.

Pileus stipitatus, latere affixus l. effusus. Hymenium plicato-venosum.

I. MERULIUS castaneus. nob.

M. substipitatus gelatinosus, pileo irregulariter lobato lacunoso castaneo, subtus carneo venis obscurioribus; stipite laterali brevi albo.

In truncis arborum.

Viget Januario.

2. MERULIUS cuneiformis. nob.

M. subacaulis flavus, pileo cuneiformi margine retuso, venis varie anastomosantibus, stipite laterali brevissimo.

In ligno putrido.

Viget Aprili, Majo.

SCHIZOPHYLLUS. FRIES.

FRIES. *Observ. myc.* I. p. 103.

Pileus latere affixus. Hymenium lamellosum, lamellis flabellatis longitudinaliter fissis, marginibus revolutis.

1. SCHIZOPHYLLUS communis.

S. communis. FRIES. *l. c.*

Agaricus alneus. PERS. *Syn. fung.* p. 435.

ICON. SOWERB. *Fung.* t. 133.

BULL. *Champ.* t. 346.

Ad truncos putridos.

Viget Augusto.

POLYPORUS. MICH.

MICH. *Gen. pl.* p. 129. t. 70. f. A. B. FRIES. *Observ. myc.* I. p. 121.

Pileus stipitatus, latere affixus l. effusus resupinatus. Hymenium porosum pilei, substantia formatum cumque ea connatum.

† Acaules.

1. POLYPORUS pellitus. nob.

P. dimidiatus coriaceus, pileo plano superne strigoso-hirsuto zonato atro, poris tenuissimis fuscis.

In ligno emortuo.

2. POLYPORUS fomentarius.

P. suberosus deinde lignescens, pileo subunguiforme fasciato laevi nigrescenti-fuligineo, poris minutis remotiusculis primo canescenti-pruinosis deinde cinnamomeo-ferugineis.

Boletus fomentarius. PERS. *Syn. fung. p. 536.*

ICON. SOWERB. *Fung. t. 137 et 138.*

Ad arbores.

Perennis.

3. POLYPORUS verrucosus. nob.

P. dimidiatus coriaceus, pileo plano tuberculoso zonato tomentoso canescenti-brunneo, poris concoloribus.

Ad arborum truncos.

Perennis.

Habitu affinis Polyp. foment. v. applanato.

4. POLYPORUS sanguineus.

P. dimidiatus membranaceo-subcoriaceus, pileo compresso subreniformi glaberrimo coccineo-miniato, poris minutissimis concoloribus nitentibus.

Boletus sanguineus. PERS. *Syn. fung. p. 541.*

ICON. SW. *Observ. bot. t. 11. f. 4. a. b.*

β) Zonatus, pileo zonis flavis variegato.

Ad arborum truncos.

Species elegantissima, a P. cinnabarino, cui similis, substantia tenuiore, superficie glaberrima, utrinque sericeo-nitida distincta. Magnitudine variat, ut specimina nostra docent, ab unciali ad fere pedalem magnitudinem. Pori minutissimi, marginem versus evanescentes. Varietas zonis latis luteis plus minusve expallescens ceterum non differt.

THELEPHORA. PERS. ref. LINK.

PERS. *Syn. fung.* p. 565. LINK. in SCHRAD. *Diar. bot. nov.* 3. fasc. 1. p. 15.

Pileus latere affixus l. effusus resupinatus, rarius substipitatus. Hymenium papillosum (l. laeve), ascis immersis.

1. THELEPHORA elegans. nob.

T. subcaespitosa infundibuliformis carnosocoriacea plicata utrinque glabra, superne dilute fusco-fasciata, inferne albescenti-carnea pruinosa.

Ad terram argillosam.

Viget Junio.

Adumbr. Pulchra species. Gregarie crescens, subcarnosa, tenuis, glabra. Pileus substipitatus, 1—2 uncialis, infundibuliformis, subcompressus, undulato-plicatus, margine irregulariter crenatus, interne rufescens, et fasciis dilute fuscis eleganter variegatus, nitens, externe albescenti-carneus, opacus, pruinosis.

2. THELEPHORA chartacea. nob.

T. caespitosa chartaceo-membranacea glabra subtus farinosa, lobis rotundatis subimbricatis zonatis incanis marginem versus subtusque pallide ochraceis.

Ad arborum truncos.

Viget toto anno.

II. CONIOMYCI.

TREMELLA.

(*Tremellae* PERS. *Syn. fung.* p. 622. species.)

Sporidia simplicia subrotunda, stromati vesiculoso-gelatinoso multiformi plicato ambitum versus instrata, deinde emergentia.

Qq

1. TREMELLA Auricula Canis. nob.

T. caespitosa tenuis concava auriformis, interne glabra nigrescens, externe subplicata tomentosa canescenti-brunnea.

Ad ligna putrida.

Viget Augusto.

Species proxima T. Auricula Judae, sed diversa. Tomentum fungum externe vestiens non sericeum olivaceo-griseum, quale in illa; sed nitore expers fibrillosum canescenti-brunneum.

Hic fungus ab Aethiopicis comeditur et Dottehoor dicitur, quia canis anglici aurem exacte refert. RODSCH.

PLANTAE CULTAE,
EX ESSEQUEBO NOBIS ACCEPTAE, SUNT:

ZINGIBER officinale.
 MARANTHA indica. russ.
 JASMINUM grandiflorum.
 JUSTICIA picta.
 SORGHUM vulgare.
 MIRABILIS Jalapa.
 IPOMOEA Quamoclit.
 COFFEA arabica.
 CAPSICUM grossum.
 MUSA paradisiaca.
 — sapientum.
 PHORMIUM tenax.
 ORYZA sativa.
 LAWSONIA inermis.
 EUGENIA Jambos.
 LAURUS Persea. (forte etiam spontanea occurrit.)
 MAMMEA americana. (nec minus forte etiam spontanea.)
 SESAMUM orientale.
 PASSIFLORA quadrangularis.
 PENTAPETES phoenicea.
 GOSSYPIUM arboreum.
 HIBISCUS mutabilis.
 — Rosa sinensis.
 ABRUS praecatorius.
 ARACHIS hypogaea.
 CYTISUS Cajan.
 THEOBROMA Cacao.

CITRUS decumana.

— Aurantium et β , sinensis.

— medica et β , Limon.

ZEA Mays.

JATROPHA Manihot.

— Janipha.

ARECA oleracea. (an etiam spontanea?)

LUFFA Arabum. nob. (Momordica Luffa.)

MOMORDICA cylindrica.

CUCURBITA lagenaria.

— Pepo var. *macrocalyx* nob. —

Caules solidi, teretes, sulcati, hirsuti. Folia cordato-subrotunda, subquingueloba, lobis rotundatis, denticulata, supra scabra, subtus pilis brevibus densissimis adpressis coerulescenti-pubescentia. Petioli hirti. Flores longe pedunculati. Calycis lacinae duplo fere quam in Cucurbita Pepone longiores, bipollicares, lineares, pilis longis albis tectae. Corolla Cucurbitae Peponis, sed glandula centralis (nectarium) nulla.

Fructus hujus Cucurbitae speciei figura variant, plerumque conici sunt, et ex albo et viridi maculati. Semen terrae traditum provenit tertio die, floretque trigesimo. RODSCH.

An haec stirps species propria sit, ut RODSCHIEDI opinio fert, vix nisi observationibus in planta recente instituendis discernendum est.

CUCURBITA Melo.

— Citrullus?

DIOSCOREA alata.

CARICA Papaya.

Huc accedunt ex auctoritate RODSCHIEDI in *Observat. p. 27 et 61.*

ANNONA muricata.

— glabra.

GUAJACUM sanctum? aut officinale.

Explicatio iconum.

Tab. I. Borreria suaveolens.

Ramus plantae cum floribus, naturali magnitudine.

- Fig. a. Involucri foliola duo exteriora, basi membrana subcoriacea margine setigera conjuncta, magnitudine paulo aucta.
- b. c. d. e. f. Ejusdem foliola interiora simplicia sensim minora et angustiora, tandem in setas subulatas desinentia, diametro 2^{pl}o aucta.
- g. Flos completus, ad calycis basin involucri setis stipatus, diametro 4^{pl}o auctus.
- h. Calyx separatus, eadem magnitudine auctus.
- i. Calycis faux cum laciniis calycinis explanatis et infra medium desectis, medio foramine stylum recipiente margineque tenui cincto perforata, diametro 8^{pl}o aucta.
- k. l. Calycis lacinae duae alternantes, eadem magnitudine auctae.
- m. Corolla separata, cum staminibus et stylo, diametro 6^{pl}o aucta.
- n. Eadem longitudinaliter dissecta et explanata, ut filamentorum insertio appareat, eadem magnitudine aucta.
- o. Stamen, diametro 12^{pl}o auctum.
- p. Stylus, eadem magnitudine.
- q. r. Capsula matura calycis laciniis aristata, ab utroque latere spectata, diametro 4^{pl}o aucta.
- s. t. u. Capsulae bipartibilis dimidia pars longitudinaliter disjuncta, sive valvula altera, a diversis lateribus visa, ut dissepimenta incompleta, e valvularum marginibus inflexis orta, in conspectum veniant, ejusdem magnitudinis.
- v. Eadem a parte interiore visa, loculamentum longitudinaliter apertum et semen in situ naturali ostendens, eadem magnitudine aucta.
- w. Capsula completa transversaliter dissecta, cum seminibus ambobis dissectis in situ naturali, ex eadem magnitudine.
- x. Semen solutum a dorso convexo visum, diametro 6^{pl}o auctum.
- y. Idem a ventre sulco longitudinali exsculpto spectatum.

* * *

Fig. 1. 2 et 3. ad sinistram capsulam maturam *Borreriae parviflorae* diametro 4^{pl}o auctam, et
 1 et 2. ad dextram capsulam maturam *Borreriae strictae* diametro 2^{pl}o auctam repraesentant.

Tab. II. *Luziola peruviana*.

Culmus e caespite majore desumtus, apice paniculam masculam et basi paniculas femineas e foliorum vaginis inflatis propullantes gerens, naturali magnitudine paulo minor.

- Fig. a. Flos masculus ante anthesin, diametro 4^{pl}o auctus.
 b. Idem in anthesi, diametro 5^{pl}o auctus.
 c. d. Valvulae corollinae masculae cum nervis obsoletis, eadem magnitudine auctae.
 e. f. Stamen separatum cum filamento brevissimo ab utroque latere spectatum, eadem magnitudine auctum.
 g. Flos femineus in anthesi, diametro 5^{pl}o auctus.
 h. i. Valvulae corollinae femineae cum nervis 6 hispidulis.
 k. Ovarium cum stylo profunde bipartito et stigmatibus, ejusdem magnitudinis.
 l. Semen liberum rostratum, diametro 4^{pl}o auctum.

Nota. Ex negligentia chalcographi valvula corollina feminea altera (i) paululum major quam esse debet, et styli duo fere, loco styli profunde bipartiti in icone in conspectum veniunt.



BORRERIA suaveolens.



LUZIOLA peruviana.



I N D E X,

STIRPES SPONTE CRESCENTES, QUARUM MENTIONEM FECIMUS, CONTINENS.

(Genera nova et restituta, nec non species novae signo † signatae sunt.)

† ACACIA aspidioides. pag. 165 — grandiflora. 165 — pedunculata. 166 ACHRAS Sapota. 149 ACROSTICHUM aureum. 285 — marginatum. 286 AESCHYNOMENE incana. 245 † AGARICUS Aster. 301 † — cancrinus. 300 † — essequiboensis. 301 † — Flos. 301 † — molybdites. 300 † — Musae. 300 † — ochraceo-fuscus. 301 † — reniformis. 302 † — striatus. 300 † — sublamellosus. 302 † — tenellus. 300 ALLAMANDA cathartica. 129 ALPINIA exaltata. 4 ALTERNANTHERA polygo- noides. 126 AMARANTHUS Blitum. 264 AMARYLLIS Belladonna. 148	AMYRIS ambrosiaca. pag. 155 ANACARDIUM occidentale. 161 ANDROPOGON bicornis. 70 † ANTHODISCUS. 193 † — trifoliatus. 194 ARISTOLOCHIA trilobata. 261 ARUM hederaceum. 271 ASCLEPIAS curassavica. 138 ASPIDIUM ensifolium. 289 — gongylodes. 289 † ASTROCARYUM. 265 † — aculeatum. 266 AVICENNIA tomentosa. 221 BACTRIS minor. 268 BANISTERIA dichotoma. 181 — fulgens. 181 — ovata. 180 BLAKEA triplinervia. 187 BIDENS bipinnata. 249 BIGNONIA aequinoctialis. 210 — fluviatilis. 212 † — microcalyx. 211 † — uncinata. 210 BIXA Orellana. 202
--	---

BLECHNUM angustifolium.	pag. 290	† CEPHAELIS crocea.	pag. 107
BOMBAX pentandrum.	229	† CHRYSOBALANUS pellocarpus.	193
† BORRERIA.	79	† CHRYSOPHYLLUM nitidum.	116
† — suaveolens.	81	† CITRUS spinosissima.	247
BROMELIA Ananas.	143	CLADONIA ecmocyna.	297
— Caratas.	143	— macilenta.	296
† — lutea.	145	— rangiformis.	297
† — Mertensii.	144	CLEOME heptaphylla.	222
† CABALLERIA coriacea.	113	† CLERODENDRON longicolle.	217
CACTUS Phyllanthus.	189	CLITORIA brasiliانا.	243
† CALADIUM aculeatum.	274	† CLUSIA nemorosa.	203
— arborescens.	273	COCCOLOBA uvifera.	159
† — edule.	272	COCOS nucifera.	268
— seguinum.	273	† COMMELINA glabra.	22
† CALATHEA.	6	CONNARUS africanus.	228
— discolor.	7	CONVOLVULUS tamnifolius.	95
† CALICIUM exile.	298	CORDIA hirsuta.	114
CALLA Dracontium.	197	† COSTUS nivea.	1
CALYMPERES Palisoti.	295	— spicata.	5
CAPSICUM annuum.	112	† COUTOUBEA racemosa.	86
† — conicum.	112	— spicata.	87
† — globiferum.	113	† CRENAEA repens.	186
CAROLINIA princeps.	229	CRESCENTIA Cujete.	214
CASSIA alata.	163	CRINUM erubescens.	147
† — calliantha.	169	† CUCULLARIA tetraphylla.	12
† — latifolia.	166	† CUCUMIS sepium.	278
— occidentalis.	168	† CYMBIDIUM trinerve.	258
† — Otterbeinii.	169	† CYNANCHUM viridiflorum.	141
† — venenifera.	167	† CYPERUS callophorus.	32
CECROPIA peltata.	280	— compressus.	28
CELOSIA nodiflora.	126	† — densiflorus.	34
CENCHRUS echinatus.	66	— distans.	35
CEPHAËLIS alba.	106	— elegans.	28

CYPERUS giganteus.	pag. 55	ERYNGIUM foetidum.	pag. 142
— Hydra.	31	† ERIOCHLOA Kunthii.	46
— Luzulae.		ERYTHRINA glauca.	238
α) longifolius.	30	EUGENIA Mini.	190
β) intermedius.	30	EUPATORIUM odoratum.	250
γ) brevifolius.	30	EUPHORBIA thymifolia.	187
δ) glomeratus.	30	† FORSTERONIA.	133
† CYPERUS nemorosus.	31	— corymbosa.	134
— polystachius.	27	— spicata.	135
— vegetus.	30	GARDENIA florida.	128
CYSSUS sicyoides.	90	— Mussaenda.	128
DALBERGIA Monetaria.	234	GAUREA trichilioides.	155
† DIOSCOREA lutea.	282	GUAJACUM officinale.	171
— trifida.	283	GUSTAVIA fastuosa.	232
DODONAEA viscosa.	157	† HEDYSARUM coeruleo-vio-	
† DOLICHOS comosus.	241	laceum.	246
— ensiformis.	243	HELICONIA psittacorum.	125
— luteolus.	240	† HIBISCUS bicornis.	231
— pruriens.	240	— esculentus.	231
† — spurius.	242	— tiliaceus.	230
— urens.	241	† HIPPOCRATEA discolor.	19
DRACONTIUM sagittifolium.	196	HIRTELLA paniculata.	122
† DREPANOCARPUS.	236	HURA crepitans.	277
— — lunatus.	238	† HYDROMYSTRIA.	152
ECHITES biflora.	133	— — stolonifera.	153
† — grandiflora.	131	HYPNUM Richardi.	294
† — symphitocarpa.	132	† HYPTIS globifera.	207
ECLIPTA erecta.	256	— pectinata.	203
ELEPHANTOPUS carolinensis,		— spicata.	203
† — β) albiflorus.	256	† JACARANDA rhombifolia.	213
ELEUSINE indica.	75	JATROPHA Curcas.	274
EPIDENDRUM ciliare.	260	— urens.	275
† EPIDENDRUM? flexuosum.	260	† ILEX ovalifolia.	91

INGA fagifolia.	pag. 162	† MALPIGHIA elegans.	pag. 178
IPOMOEA acetosaefolia.	101	MACHAERIUM ferrugineum.	233
— brasiliensis.	97	MACROLOBIUM hymenaeoides.	17
† — breviflora.	100	† — stamineum.	18
† — cymosa.	99	MANGIFERA indica.	121
— martinicensis.	98	MARANTHA arundinacea.	11
— pandurata.	100	† MARIPA.	114
— purpurea.	98	† — erecta.	115
— tuberosa.	102	† MARISCUS coriaceus.	38
— umbellata.	99	† — litoralis.	37
ISERTIA parviflora.	151	MAURITIA flexuosa.	283
JUSSIEUA acuminata.	173	MELASTOMA aromaticum.	177
† — palustris.	173	— crenatum.	176
— suffruticosa.	173	— laevigatum.	176
† — variabilis.	174	— racemosum.	176
† KLEINIA alata.	249	— tomentosum.	175
KYLLINGIA triceps.	39	MELOTHRIA pendula.	279
LANTANA annua.	215	MENYANTHES indica.	94
— Camara.	215	† MERULIUS castaneus.	302
† LASIOSTOMA divaricata.	83	† — cuneiformis.	303
LAURUS surinamensis.	160	† MESSERSCHMIDIA incana.	92
† LECIDEA albo-virens.	295	MIMOSA asperata.	163
— corticola.	296	† — chiliantha.	163
LEGNOTIS Cassipourea.	204	MÜLLERA moniliformis.	245
† LEMNA? punctata.	262	† MYRTHUS carnea.	191
† LEPTOSTACHYS.	73	† — sylvatica.	191
— virgata.	74	† NYMPHAEA blanda.	201
LISIANTHUS chelonoides.	94	† — Rudgeana.	198
† LORANTHUS aduncus.	149	OCTOBLEPHARIS albida.	294
— sessilis.	150	† ONCIDIUM emarginatum.	259
LUZIOLA peruviana.	269	† PANICUM altissimum.	63
LYGODIUM volubile.	293	— Crus galli.	53
MALPIGHIA crassifolia.	130	— fluitans.	51

† PANICUM frondescens.	pag. 56	POA ciliaris.	pag. 75
— glutinosum.	62	POINCIANA pulcherrima.	170
— horizontale.	54	POLYGONUM barbatum.	153
— insulare.	60	POLYPODIUM aureum.	288
† — isocalycium.	59	— incanum.	288
— lineare.	55	— lycopodioides.	287
— myurum.	50	— phyllitidis.	287
† — pilisparsum.	57	POLYPORUS fomentarius.	304
† — tenuiculum.	58	† — pellitus.	303
† — velutinum.	51	— sanguineus.	304
PASPALUM conjugatum.	49	† — (β) zonatus.	304
— platycaule.	49	† — verrucosus.	304
— virgatum.	49	† PORINA versicolor.	297
† PASSIFLORA appendiculata.	223	PSIDIUM pyriforme.	189
— foetida,		PSYCHOTRIA crocea.	105
(β) variegata.	226	— herbacea.	104
† — hemicycla.	225	PTEROCARPUS Draco.	235
— laurifolia.	224	— Rohrii.	235
† — quadriglandulosa.	226	PUNICA nana.	192
— tinifolia.	224	† PYROSTOMA.	219
PAULLINIA pinnata.	159	† — ternatum.	220
† PENTACEROS.	136	QUASSIA amara.	172
† — aculeatus.	137	— Simaruba.	172
PETALOMA Muriri.	171	REMIREA maritima.	45
† PHASEOLUS adenanthus.	239	RHEXIA aquatica.	154
PHYLLANTHUS Niruri.	277	† RHIZOPHORA racemosa.	135
PHYSALIS angulata.	103	RHOPALA montana.	78
(β) foliis subintegerrimis.	108	— ? nitida.	77
PIPER aduncum.	15	— ? pinnata.	78
† — divaricatum.	15	† SACCHARUM caudatum.	68
PISTIA Stratiotes.	227	— officinarum.	66
† PLANTAGO bicarinata.	88	SAGITTARIA acutifolia.	271
PLUMERIA rubra.	131	SAPIUM aucuparium.	276

SAPIUM Hippomane.	pag. 275	† TERMINALIA dichotoma.	pag. 177
SARCOSTEMMA Brownii.	159	† TETRACERA cuspidata.	205
SCIRPUS capitatus.	43	† THELEPHORA chartacea.	305
— dichotomus.	43	† — elegans.	305
— geniculatus.	42	† THOUINIA polygama.	156
— tenuifolius.	44	† TILESIA.	251
SCHIZAEA bifida.	292	† — capitata.	254
— incurvata.	291	TILLANDSIA recurvata.	146
SCHIZOPHYLLUS communis.	303	— usneoides.	146
SCHOENUS ciliatus.	23	TONSELLA malpighiaefolia.	20
— floridus.	26	TONTANEA repens.	85
SCHOUSBOEA coccinea.	174	† TRADESCANTIA elongata.	146
SCLEREA Flagellum.	263	† TREMELLA Auricula Canis.	306
SCOPARIA dulcis.	89	† TRIOPTERIS discolor.	182
SECURIDACA volubilis.	233	† — pauciflora.	183
SENECIO hieracifolius.	251	TRIPLARIS americana.	284
SIDA rhombifolia.	230	THYPHA latifolia.	262
† SMILAX globifera.	281	† URTICA divergens.	264
† SOLANUM erythrocarpon.	109	† UTRICULARIA stricta.	14
— mammosum.	110	VANILLA aromatica.	261
† — Rodschiedi.	111	VERRUCARIA tropica.	299
— stramonifolium.	110	VINCA rosea.	130
SPONDIAS Myrobalanus.	184	VIOLA Aubletii.	123
† SURUBEA.	119	VITEX Agnus castus.	218
— Aubletii.	120	— umbrosa.	218
SYMPLOCOS Ciponima.	248	VOLKAMERIA aculeata.	216
TABERNAEMONTANA undulata.	135	WALTHERIA americana.	223
TAMONEA curassavica.	209	XIMENIA americana.	155

E R R A T A

m a j o r i s m o m e n t i .

Pag.	1	lin.	6	pro: nthera leg. Anthera.
2	21	et-rel. loc. pro: Jaquino leg. Jacquino.		
6	27	pro: tres leg. tria.		
7	8	pro: rachidi leg. rachi.		
24	24	pro: Calathea discolor. leg. Calathea discolor. nob.		
10	19 et 20	pro: Jaquini funditum leg. Jacquino fundatum.		
10	22	pro: eum leg. id.		
24	14 et pag. 83 lin. 19	pro: plurae leg. plures.		
25	18	pro: adhibeundam leg. adhibendam.		
29	31 et 32	pro: foliolis — angustioribus leg. foliola — angustiora.		
32	32	pro: Floret leg. Floret.		
37	22	pro: fructiferi — trigoni leg. fructiferae — trigonae.		
40	8 et 9	pro: bulbosi — odoratissimi leg. bulbosae — odoratissimae.		
40	8	pro: stirpi leg. stirpe.		
40	23	pro: amplectatur leg. amplectitur.		
43	15 et 16	pro: muticae — truncatae leg. muticas — truncatas.		
29	29	pro: dichotomum leg. dichotoma.		
45	20	pro: articulati — firmati leg. articulatae — firmatae.		
47	24	pro: immature leg. immaturum.		
51	18 p. 52 l. 20 p. 60 l. 5	pro: neutrae leg. neutrius.		
52	27 et p. 53 l. 3	pro: aemuli leg. aemulo.		
59	11	pro: rarifloribus leg. rarifloris.		
64	13	pro: ovatae — acutae leg. ovati — acuti.		
68	18	pro: candatum leg. caudatum.		
69	14	pro: inserta leg. insertus.		
23	23	hermaphrodita est omitt.		
73	22	pro: Poas leg. Poae.		
28	28	pro: calyce leg. calycis.		
29	29	pro: habita leg. habitu.		
81	27 p. 95 l. 26 p. 111 l. 6	pro: Arowabiskreck leg. Arowabiskreek.		
85	6 et 10	pro: Tontania et Tantonina leg. Tontanea.		
88	6	pro: figuram leg. figura.		
90	12	pro: adnatum leg. adnata.		
95	9	pro: rudimento leg. cum rudimento.		
14	14	pro: affine leg. affinis.		
100	2	pro: exacti — tantam leg. exactae — tantum.		
15	15	pro: pedunculati — involucrati leg. pedunculatae — involucretae.		
102	23	pro: dilatatus leg. dilatata.		
103	13	pro: plurioribus leg. pluribus.		
106	11	pro: illio leg. illo.		
108	19	pro: flavae leg. flavi.		
111	2	pro: Rodschiedii leg. Rodschiedi.		
112	31	pro: nullo alio leg. nulli alii.		
115	14 p. 116 l. 9	pro: Iterbischikreck leg. Iterbischikreek.		
116	2	pro: dispermis leg. dispermis.		
13	13	pro: exsiccatis leg. exsiccati.		
119	3	pro: usque leg. donec.		
122	28	pro: conservatis leg. conservati.		
132	28	pro: seminarum leg. saminum.		
134	15	pro: meritis leg. merito.		

Fig. 135	lin. 20	pro: linearem leg. lineare.
138	17	pro: lateribus leg. lateralibus.
148	21	pro: Scopo leg. Scapo.
151	24	pro: alterae leg. alterius.
153	29	pro: 1 - flores leg. 1 - flori.
	33	pro: consentientem leg. consentientem naturam.
159	17	pro: nisertae leg. insertae.
	20	pro: tricocibus leg. tricornibus.
164	10	pro: unaquequo leg. unaquaque.
167	30	pro: virides leg. viridia.
183	4	pro: alise leg. alii.
185	22	pro: quinque leg. quinquies.
194	16	pro: <i>avδος</i> leg. <i>αυθος</i> .
195	5	pro: coronata leg. coronatum.
196	10	pro: longiora leg. longiore.
199	16	pro: faciendos leg. faciendos spernant,.
204	20	pro: analyses leg. analyses.
206	17	pro: flores leg. floribus.
209	5	pro: Cui leg. Quem.
210	20	pro: pungentem leg. pungens.
220	8	pro: affinis leg. affine.
	15	pro: ternata leg. ternatum.
223	20	pro: pedicellata leg. pedicellatus.
226	3	pro: jorullensi leg. jorullensis.
231	9	pro: bicornis leg. bicornis. nob.
234	28	pro: longiorem — breviorum leg. longius — brevius.
238	24	pro: aculeatus leg. aculeata.
241	17	pro: comosus leg. comosus. nob.
242	19	pro: laterales leg. lateralia.
245	30	pro: venae leg. venas.
247	15	pro: spinosissimus leg. spinosissima.
251	22 et pag. 252 l. 3	pro: paleos leg. paleas.
	22 et pag. 252 l. 3	pro: transientibus — transientes leg. transeuntibus — transuentes.
252	25	pro: Theophrasti leg. Theophili.
253	28	pro: quod inscriptum leg. qui inscribitur.
255	23	pro: immortalatum leg. immortalalem.
	24	pro: simplicem leg. simplex.
260	27	pro: tres leg. tria.
271	24	pro: staminiferus leg. staminifer.
272	24	pro: folia leg. foliis.
273	8	pro: oblongo leg. oblonga.
275	19	pro: brevius leg. brevissimus.
277	19	pone Illust. adde t. 793.
283	5	pro: removenda leg. removendum.
289	16 et 17	pro: cuneatis — notatis — serratis leg. cuneatae — notatae — serratae.
295	15	pro: subrodاتا leg. subcordata.
296	15	pro: nostratis leg. nostris.
299	6	pro: Scyphulum leg. Scyphulum.

44106

Q UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
581.988M57P C001
PRIMITIAE FLORAE ESSEQUEBOENSIS ADJECTIS



3 0112 009957199